





200

1674, 5

8

15

JEHOVA SECUNDET!

DISSERTATIONEM CHIRURGICAM
DE

VULNERIBUS

cum fracturis & luxationibus,
sive conjunctis eorum præcipuis
& Symptomatibus,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

DN. CHRISTOPHORI HELVIGII,

Doctoris & Profesoris Medici in Regia hac Pome-
ranorum Academia longè celeberrimi, Facultatis suæ
Decani spectatissimi, & h. t. Universitatis Rectoris Magnifici,

Dn. Patroni & Fautoris sui pl. honorandi,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ Honores & Privilegia obtinendi

Publico & placido Philiatorum examini

die Maji loco horisq; consuetis
submittit

M. MATTHÆUS CLEMASIUS, Zittâ-Lusatus.

G R Y P H I S W A L D I Æ

Excudebat MATTHÆUS DOISCHER, Acad. Reg. Typogr. Anno 1674.

c3



Very faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.



IN NOMINE JESU!



Ogitanti mihi, quantum momenti habeat ad Chirurgiam feliciter exercendam exacta Anatomia notitia, & quae sit causa, cur pauci admodum fundamentis Anatomicis instructi Chirurgicas operationes exercent, illud occurrit, consuetudine homines plerumque duci, ideoq; artium hanc architectonicam suam dignitate spoliari & de ponte quasi dejici.


Etenim si per exempla eas, quotusquisque ex Chirurgia Magistris est, qui non potissimam vitae suae partem in cogendis Emplastris sive unguentis consumit, Anatomicas vero sectiones planè negligit? Et quotusquisque ex Medicis est, qui huic inconvenientiae succurrit & existimationem postponendo suum imperium in Iniquitiam convertit? Non tangam jam illos, qui ob similem, si non eandem causam medicamentariam solam tradere Chirurgiam studio al-laborarunt, ut falsâ hypotesi delusi alios in errores & vanae persuasionis precipitium secum abripiant. Neque illos, qui nobilissimam hanc Medicinae partem ab alia ritè discriminare ignorantes omnia confundunt, nec eò annituntur, ut quae in Chirurgia hemisphaerio comprehenduntur, methodi succincta beneficio in circulum redigant, & evidentiam ejusdem certò limite claudant. Neque res mihi erit cum hac in arte exercitatis sive Practicis, qui ea medicamenta, quae longò temporis usu bona & in curandis agrotis probata viderunt, supprimunt, secum sepeliunt, aut enigmatibus vel aliis inusitatis loquendi formulis, saltim ut lector in caecos abducatur Maandros, de industria obscurant. Neque cum illis, qui nil nisi farraginem arcanorum crepant, agendorum verò indicationes non sine magno patientum damno (cum hac Medicinae pars à Mangonizato secretorum

praeconio longissimè abeat) planè negligunt. Sufficit, quòd omnibus & singulis hinc colligere haud sit difficile, quantum morborum seminarium oriatur, quantumq; detrimenti accidat hominibus, si succumbentibus Chirurgia auxiliis alii horrendà morte corripiantur, alii in miseram vitam precipitati paulò post obeant, alii in cruciatibus vitam infeliciter trahant. Cui arumnosissima hominum sorti, quantum in me erit, obviam ire decrevi. Sum enim pro virili in hac dissertatione ea omnia diligenter pertractaturus, quæ ad vulnera eorumq; accidentia ritè curanda requiri videntur, & ostensurus, quid in re difficili agendum & peragendum sit. Ne autem ullus spe suâ & intentione defraudetur, sed exoptata curatio ex voto succedat, ita procedam, ut per universam curationem ostendam experientiâ comprobatorum notissimorumq; medicamentorum usum; quod ut feliciter cedat, DEUM supplex rogo atque veneror!

CAPUT I.

Definitionem nominalem & realem exhibet.

§. 1.

 Hirurgum Sagatum hîc sisto, quem contradistingo Togato. Contradistinctionis ratio hæc est, quoniam in bello vulnerum, luxationum, fracturarum, & id genus aliorum cura à Chirurgo in Sago constituto vel maximè expetitur. Deinde considero hîc Chirurgiam non in abstracto, sed in concreto, quatenus scilicet Chirurgia cum Pharmacia concurrit & ad praxin directa est, non ad eam *à se* *beran*, quâ à reliquis partibus distinguitur. Kürzlich und mit einem Worte: Wann ich bey einer Armee zu Felde seyn solte/ wie ich eine frische Wunde heilen / und einem ehrlichen Soldaten und Rittersmann mit heilsamen Arzeneymitteln heyspringen und an die Hand gehen wolte.

§. 2.

§. 2. Antequam verò ad rem ipsam accedamus, trā-
ctationemq; vulnerū ad manus sumamus, prius quædam,
ut Chirurgus omnia ex fundamento & veluti *ἡ δὲ μίαν*
ὄψιν habeat, præmittenda sunt. Receptum autem est in
vulgus, ut plerique Onomatologiam Etymologiã, Ho-
monymia & Synonymia circumscribant. Etymolo-
giam proinde quod attinet, vulnus quibusdam deriva-
tur à vi, quasi viulnus; quibusdam placet dici à volve-
re, quiavolvendo, h. e. vibrando fit; aliis à vulsâ carne,
vel à Græco *βλή* inserto *υ*, veluti ex aliis consimilibus
id probari perhibent. Græca vocabula Synonymica,
cùm nihil peculiare ratione derivationis habeant, vide
in Philologorum Scriptis. Germanicum verò *Wunde*
duci potest à punctu; est enim solutio carnis & cutis fa-
ctâ punctione, imprimis etiam cæsione & pulsatione;
possis & à *wenden* / i. e. vertere, quod vertendo carnem
quoque fiat; aut à *binden* / quod obligari soleat, unde &
winden volve-re, torquere, fasciis involvere, Belgis *Wes-
schen* quasi fasciare est. Relinquimus hîc suum cuique
arbitrium, cùm non sit articulus fidei, & salvâ ægrotan-
tium salute hæc supervacanea crisis omitti possit.

§. 3. Sequitur Homonymia, quæ est vel Medica, vel
Philologica. Medicam quod concernit, denotat vocabu-
lum vulneris (1) strictè solutam unitatem in parte molli
à re secante cæsionem factam, quæ contradistinguitur solu-
tæ unitati in parte molli à re acuta punctum factæ. (2) La-
tè solutam unitatem in parte molli à re secante & acutâ si-
ve cæsionem sive punctum factam. (3) Latissimè solutam
unitatem in parte molli vel discissione vel collisione,
adeòq; acuto vel retuso telo factam. Philologicam ac-
ceptionem quod spectat, denotat vocabulum vulneris
(1) telum vel sagittam, sicut id ex *Æneid.* 2. & 10. probari
potest.

potest. (2) Significat etiam dolorem, qui vulnere accedit, eumque non simpliciter talem, sed cum angore animi conjunctum, veluti plurimi Scriptores id consuetudinis habent, ut spirituales dolorem vocabulo vulneris exprimant. (3) Odium, Æneid. 2. (4) Amorem, ut passim apud Poetas. (5) Politicas calamitates, quas Cic. vulnera Reipubl. dixit. (6) Denique etiam vulnus quandoque, sed rarissime ulcus denotat, non habito respectu ad cuiusvis naturam diversam & proprietatem singularem; quemadmodum apud Græcos nonnullos Scriptores id frequenter occurrit.

§. 4. Venio ad Synonymiam, circa quam pauca, nisi quod vulnus etiam vocetur Latinis plaga, Græcis πληγή, τραύμα & τραύμα vel τραύσις Quæ posteriora vocabula Græca apud Scriptores Medicos hinc inde idem significant, & pro Synonymis habentur, veluti eadem horum vocabulorum Synonymica acceptio etiam occurrere videtur in S. S. id quod ex diversis ejus locis sufficienter apparere videtur. Et hæc de nomine. Rem ipsam quod concernit, ejus definitionem ita exhibeo:

§. 5. Vulnus est solutio continui patens in parte molli facta à causa externa idonea, quæ pro varietate suâ morborum genera multiplicat, nonnunquam conjuncta cum venefica qualitate, ustione, attritione, aliquando cum fracturis ossium & luxationibus.

§. 6. Descriptio hæc est causalis. Id enim solenne solet esse Medicis, ut, cum non possint vel nolint dare definitionem propriè sic dictam sive essentialem, ad causas confugiant, longam quandoque seriem earum nectentes.

§. 7. Genus hic est solutio continui. Triplex morborum genus nobis fecerunt Institutiæ, morbos qualitatum, compositionis & solutæ unitatis. Ultimū hinc potissimum

mum spectamus, quando continuum solvitur, & ne error obrepat, in vocabulo Continui & Contigui hæc distinctio est observanda. Scilicet: Contigua esse se invicem contingentia, Continua se invicem continentia. Gaspar Bravo in suis Resolutionibus Medicis distinguit inter Unionem Physicam & Mathematicam, alii ratione naturæ & artis, quibus distinctionibus an subsit aliquid veritatis, cujusvis iudicio relinquo.

§. 8. Addidi voculam Patens, eâ de causâ, quia datur solutio continui, quæ non patet, & sic vulnus datur cæcum, Græcis θλάσις & θλάσμα, Hippocrati φλάσμα, quando videlicet integrâ superficie partis, quæ in profundo sunt, contunduntur, seu cum integra adhuc & continua cute partis contusæ, partium sub cute mollium unitas soluta facta est, nec ad sensum patet; Quò & pertinet ἐκχύματα.

§. 9. In parte molli factâ à causâ externâ idoneâ. Differentia hîc est clara, modò observetur causa idonea. Dantur enim partes molles, quarum soluta unitas vocatur spasma, ligamentorum ἀπισπασμα, & sic de cæteris, ubi modus causandi est diversus. Deinde alia causa est vel inanimata, vel animata. Per inanimatam intelligo varium armorum genus militare; per animatam verò ferarum morsum, vel venenatorum animalium puncturam. Unde ex re esset, ut causa posterior exactè ad examen revocaretur cum curâ præprimis circa animalium morsum observandâ, verum quoniam hæc ad militem sagatum, vix spectat, non immeritò eadem omittitur, modò notetur, quòd hîc intelligatur causa, quæ secat, pungit, contundendo vulnerat, adeòq; apta nata est continuum solvere, i. e. partem mollem, sub qua etiam ossa molliora, ut os spongiosum, digitorum ossa, &c. sicut id ex Anatomia clarum est, comprehensa volo.

§. 10.

§. 10. Quæ pro varietate suâ morborum genera multiplicat. Evenit hoc præcipuè in vulneribus sclopeto inflictis, quæ præter solutionem continui etiam intemperiem & auctam magnitudinem conjunctam habent, quandoquidem statim ac læsa est pars, calida intemperies eidem introducit, unde per vim ignis & confluxum calidorum humorum partes non solum in tumorem attolluntur, sed etiam præter naturam augentur, quod non ita excessivè accidit in aliis vulneribus.

§. 11. Jungo his qualitatem malignam, quæ quandoquæ observatur. Eò enim malitiæ homines sunt progressi, ut non contenti sint variis instrumentis alterius vitæ insidiari, sed & eadem vario succo lethifero intoxicare, coeperint. Quod venenum vulneribus gladio vel simili instrumento communicatum, unde originem ducat, videtur esse manifestum; Sclopeto verò illatum, si quod adest, non item. Ego si sententiam deberem eligere, cum diversitas curæ & Symptomatum etiam ex manifestis causis deduci possit, potius subscriberem illis, qui venenum adesse negant. Ubi verò causa ista lateat, quòd alia Symptomata his vulneribus accedant, & vulnera ista aliam curationem requirant, quàm vulnera sagittis vel gladio illata, disquisitione dignum. Brevibus ut me expediam, agnoscerem Sulphuris acidum sanguinis coagulativum, causam præcipuam, Nitro, carbonibus, sive reliquis partibus pulverem pyrium constituentibus non exclusis; unde mirum non sit, si ex stagnatione sanguinis varia, imò malignitatem mentientia oriuntur Symptomata, & Bezoarticis, præcipitantibus, & incendium ex stagnatione sanguinis restinguentibus, sanguini motus naturalis concilietur.

§. 12. Qualitatem maleficam comitatur etiam ustio, quæ
etiam

etiam sola in vulneribus sclopeto inflictis deprehendi-
tur. Non hic arguere animus est eos, qui contrarium
asserunt, quia inter oppositos forsitan erunt, qui ansam
dabunt hanc quaestionem liberè ventilandi, interim præ-
cipuæ rationes probabiles mihi videntur desumi posse.
(1) ex causa globuli ad percutiendum impulsivâ, quæ i-
gnea est, ergo & effectus quodam modo igneus esse de-
bet. (2) Ex instrumento ignito. Quod enim hæc ignea
facultas comitetur globulum, clarum est ex multiplici
effectu, quem post se relinquit. (3) Ex motus vehemen-
tia, quæ sanè tanta est, ut vel sola ad ignem sive calorem
excessivum producendum sit sufficiens, ut taceam pas-
sim in autoribus obvia exempla. (4) Ex vulneris dispo-
sitione, ubi si non Eschara, tamen calida & sicca intem-
peries observatur, quæ prohibet sanguinis fluxum, ut
non in principio, sed in progressu adsit; Eschara enim
quæ talis, dum vi ignis assumitur, refrænât humiditates
in corpore, firmatq; sanguinem, quousque à sanie segre-
getur, tunc enim vas detectum sanguinem in magna co-
pia effundit. Reliquas rationes, quarum adhuc plures
sunt, lubens prætermitto.

§. 13. Attritionem vulnera sclopetorum habere, patet
ex ipsa partis sauciatae laceratione, dum enim globulus vi
ignis impulsus suo impetu ingreditur in aliquam corpo-
ris partem, illam summâ violentiâ dissipat atque dila-
niat; quinimò non solùm partes ipsas, quas attingit, sed
etiam proximas lacerat. Ponderosi enim sunt globuli
& gravitate præditi maximâ, ideò non possunt non sol-
vere partium continuitatem cum contusione & insigni
attritione.

§. 14. Vulnera aliquando cum fracturis ossium & luxa-
tionibus conjungi, quotidiana loquitur experientia, eòq;
B
faciliùs

facilius fractura vulnere copulatur, si telum est retusum, & globulus corpus aut aliquam partem perforat maximo conatu; veluti etiam à re gravi articuli luxantur, franguntur & vulnerantur.

CAPUT II.

Subjectum considerat.

§. I.

DIxi, quòd vulnus cadat in quamlibet corporis humani partem molliorem, sub qua etiam ossa molliora comprehendo; Solvitur enim quoque eorum substantia mollior instrumento cæsim, sicuti aliarum partium mollioris substantiæ atque materiæ. Harum corporis humani partium quanquam varias differentias nobis suppeditent Anatomici, videtur tamen ea præprimis Chirurgo esse necessaria, quæ est inter partes similes & dissimiles, ex qua reliquas non difficulter licebit eruerè; quippe ex ossiculis, musculis, arteriis, venulis, &c. fit digitus, ex hoc & aliis fit manus, ex manu brachium, sive organica pars magis composita, & consequenter in aliis semper gradatim ascendendo.

§. 2. Organicæ hæ partes cum aliæ sint nobiles, aliæ equidem non nobiles, sed tamen ad vitam simpliciter necessariae, factum est, ut vulnera etiam Chirurgis à parte vulnerata nomen obtinuerint, dicaturque vulnus vel partis nobilis, vel partis simpliciter ad vitam necessariae, vel partis ad vitam simpliciter non necessariae, sicuti id Magnificus WELSCHUS, Prof. Publ. Lips. celeberrimus, in peculiari de rationali vulnerum lethalium iudicio egregiè deduxit. De singulis ergò, quia momenti quid in se habent, singulatim & in specie.

§. 3.

§. 3. Partes ergò, quas præ reliquis considerare debet Chirurgus, sunt organicæ, quæ sunt vel similes, quarum decem numerantur, ut: Os, cartilago, ligamentum, membrana, fibra, caro, cutis, nervus, arteria, vena, ex quorum numero aliqui tres posteriores eliminantur.

§. 4. Ex dissimilaribus partes nobiles sunt duæ, cerebrum videlicet & cor Principum instar ac Magnatum, quorum illud caput, hoc thoracem tanquam certas regiones Anatomicis ita dictas occupat.

§. 5. Partes ad vitam simpliciter necessariæ numerantur novem: Pulmones cum aspera arteria, diaphragma, gula, ventriculus, intestina, mesenterium, epar, renes & vesica. Dicunturq; simpliciter ad vitam necessariæ, quia ejusmodi funguntur munere, quo vivi carere non possumus, & quarum sublato usu & officio vita ipsa ut plurimum cessare cogitur. Sub reliquis partibus in hisce tribus regionibus restituantibus quæ pro simpliciter ad vitam necessariis non habentur, quippe quibus vel vulneratis vel planè perditis, vulneratus, quamvis cæcus, mutus, claudus, mancus, uno verbo miser reddatur, vivus nihilominus superesse potest, etiam partes externas & extrema comprehensa volo.

§. 6. Melius ut hæc omnia percipiantur, ad sequentia attendi necesse est, & quidem ratione classis prioris cerebrum se offert, ubi hoc vocabulo denoto equidem principalem aliquam corporis partem; verum cum ejus partium integrantium non eadem sit facies, substantia, forma, multominus eadem dignitas, idem usus, eademq; necessitas, delectus est habendus.

§. 7. Ex omnibus verò ejus partibus integrantibus maximè nobilis & necessaria pars est medulla, quæ spirituum animalium creditur officina præcipua, fovetq; par-

tes nobilissimas, quales sunt falcatus processus, celebres dicti ventriculi, plexus choroides, & arteriosum rete mirabile; quibus omnibus annumerandum est meritò nervorum dictum principium nondum per magnum occipitis foramen egressum, & spinalis medulla in parte superiore sive supra thoracis & medias cervicis vertebrae.

§. 8. In thorace seu ventre medio continetur cor viscus pariter nobilissimum & princeps, cujus substantia auriculæ vel ventriculi dexter & sinister sunt spectabiles, ex quibus maxima vasa & magnifica satis procedunt: ex dextro puta ventriculo vena cava & vena arteriosa; è sinistro arteria magna & arteria venosa.

§. 9. Venio ad partes simpliciter ad vitam necessarias dictas non actionis tantum necessitate, ut pulmones, diaphragma, ventriculus, epar & renes; sed usus etiam & officii, ut aspera arteria, gula, intestina, vesica. Pulmones quod attinet, continuatâ serie inspirandi & expirandi suo funguntur munere, ubi etiam non tam substantia consideranda, quam vasa ejus majora, ut sunt vena arteriosa & arteria venosa. Circa asperam arteriam considerabit Chirurgus in thorace truncum arteriæ magnæ & maximam gulæ portionem, quibuscum firmissimè cohæret; extra thoracem & in anteriore cervicis vel colli parte ramos jugulares, arterias carotidas & gulam subjacentem. Gulæ canali sui generis membranoso, priusquam in abdomen descendat, diaphragma proximum est sive septum transversum, cujus membranosum centrum maximè considerabile.

§. 10. In ventriculo fundi laterales partes, fundus propriè sic dictus & ejusdem orificia conspicua.

§. 11. Inter intestina eminent tenuia, quia per ventriculi orificium pylorum dictum, totus in illa immediate

diatè distribuitur chylus, ab iisq; recipitur & fovetur.

§. 12. Rectum intestinum ex crassis ob membranofam suam substantiam, quâ colo adhuc vicinum est, quid peculiare habet.

§. 13. Mesenterii substantiam membranofam non, ita Chirurgus consideret ac vasa per id decurrentia majora, quod etiam de pancreate verum comperies.

§. 14. Plus æstimet epatis & lienis vasa majora, cavæ scilicet truncum, ramos ipsius majores, venam portæ, insignesq; ejusdem ramos, vesiculam bilis; & majores ramos lienis; quàm substantiam ipsam. Quò refer & ex descendens vasis arteriam magnam, venam cavam, truncos majoresq; ipsorum ramos, splenicos putà mesentericos, emulgentes imprimis & iliacos.

§. 15. Renum pariter non tam substantiam quàm vasa simul emulgentia, & imprimis ubi simum renis ingrediuntur, & vicina adhuc sunt suo principio.

§. 16. Vesicæ membranofum fundum.

§. 17. Reliquas partes in thorace & abdomine restantes, ut mediastinum, omentum, peritonæum, cum vasis spermaticis testes, cum externis partibus, videlicet cute cum sua cuticula, pinguedine, panniculo carnosio, musculis cuilibet parti propriis & extremis, utpote artibus, sub quibus manus & pedes complector, sicco pede prætereo, si partium externarum ramos axillares & ramum cruralem probè quis consideraverit.

§. 18. Denique quia vulneribus quandoque conjunguntur fracturæ & luxationes, præter *μυολογίαν* etiam addiscat Chirurgiæ Studiosus *ὀσσεολογίαν* cum connexionibus. De connexionem ut aliquid dicatur, est ea vel cum motu, vel sine eo; illa articulatio, hæc connaturatio seu Symphysis appellatur. Articulatio cum motu evidenti

Diarthrosis, Latinis dearticulatio, cum obscuro magis
Synarthrosis, Latinis coarticulatio vocatur; utriusque
tres sunt species in Diarthrosi tamen præcipue notabiles.

§. 19. Enarthrosis seu inarticulatio est, cum cavitas
profunda excipit caput amplum.

§. 20. Arthrodia sive adarticulatio, cum superficia-
lis cavitas excipit caput minus.

§. 21. Gynglimus seu articulatio per cardinem cum
mutua datur receptio, ut in vertebrais dorsi.

§. 22. Symphyseos quoque tres enumerantur spe-
cies, futura nempe, cum inæqualitatum variarum ope os-
sa committuntur.

§. 23. Harmonia, cum per simplicem lineam.

§. 24. Gomphosis seu clavatio, cum clavi instar os
ossi infigitur.

§. 25. Hac classe qui excipiuntur, junguntur vel per
Synchondrosin, cum nexus fit intercedente cartilagine;
vel per Synneurosin cum ope ligamentorum; vel per
Syssarcosin cum beneficio carnis appositæ.

§. 26. Hæc ratione articulationis equidem vulgaria
sunt, & nullibi non obvia in Anatomicorum libris, ve-
rùm quia non satis docetur, quod non satis discitur, oc-
casione ita suadente hæc eadem apponere volui.

CAPUT III.

Causas declarat.

§. I.

Vulnerum causæ recensentur à GALENO de causis
morborum c. ult. & has externas esse, nulli non pa-
tet. Omnia autem hæc instrumenta sive armorum ge-
nera, (intellige militaria) quæ apta nata sunt continuum
solyere,

solvere, ratione sui commodissime in tres classes dividi possunt. Alia enim armorum genera sunt vel acie vel acumine prædita, alia verò sunt obtusa. Acie prædita sunt gladius, ensis, securis, culter, &c. acutie sive acumine, pugio, telum, sagitta, &c. obtusa sunt globus sclopetarius, lapis, malleus, fustis, baculus, pugnus, huc refer & ponderosa partibus incidentia.

§. 2. Dicis: non est necessarium, hæc instrumenta longà serie recensere, cum ab iis nullæ sumantur indicationes? Verùm responderetur, quanquam hæ causæ externæ quatenus tales sejunctæ sint à parte vulnerata, & proinde ab illis indicationes in curatione non sumantur, siquidem indicationes è permanentibus eliciuntur, attamen verum hoc est in aliquibus, non verò in omnibus vulneribus, veluti id exemplo vulnerum sclopeto inflictorum probatur, quorum speculari causam etiam ad curationem facit, cum indicationes sumantur non tam ab ea, quàm ab effectu, uti in curatione ostendemus.

§. 3. Deinde causæ considerandæ sunt etiam ratione effectus, cujus intuitu vel sunt remotæ, vel proximæ. Causam remotam nomino instrumentum, quod à nostris sclopetum, bombardæ & tormentum appellatur, prodestq; interdum scire, an instrumentum illud parvum, ut bombardæ, aut magnum, ut Moschetta, fuerit. Causa mediata, quæ & efficiens (licet id diversâ ratione fiat) appellari potest, est pulvis igne accensus. Proxima & immediata sunt superius recensita instrumenta, vel globulus aut glans plumbea, argentea, ænea, vel alterius alicujus substantiæ, quæ impellitur.

§. 4. Ut autem paulum immorer instrumento huic tormentario, autorem ejus faciunt alii fortunam, alii occasionem; quidam Germanos, nonnulli alias gentes ad-
invenisse

invenisse affirmant; quod scire parum ad institutum nostrum confert. Illud tamen statuendum, quod materia sclopetorum sit vel ex ære, vel ex ferro, vel ex his mixtis, vel ex orichalco, addito aliquando argento, ex quibus variæ species diversæq; instrumentorum bellicorum figuræ efformantur. Nam & bombardæ & colubrinæ & falconetti & Moschettæ & sclopetæ variæ figuræ concinnantur. In omnibus tamen his instrumentis, globi, glandes atque aliæ spherulæ bombardicæ ponuntur, quæ omnia ad partis læsionem immediatè concurrunt.

§. 5. Materia horum globulorum diversa à diversis recepta est; globuli parantur vel ex lapide, vel ex plumbo, vel ex ferro, vel ex catenulis, quinimò frustula ferrea inseruntur, modò lapilli cum sacco, modò alterius substantiæ segmenta imponuntur.

§. 6. Illud autem, quod tanquam efficiens concurrat ad vulnus excitandum lethalissimum, est pulvis tormentarius, cujusvis & vehementia nullis non est nota. Hic enim non solum volatilia animalia destruit & in terris degentia, sed integras civitates concutit, tures convelit, & montes ipsos funditus quasi evertit.

§. 7. Componitur hic pulvis ex Sulphure, Nitro & carbonibus cum portione aquæ vitæ, aut interdum vini. Per Sulphur hic non intelligitur materia propinqua metallorum, (de qua adhuc litigant Medici & Philosophi) sed succus mineralis constans parte inflammabili, & gravem odorem de se præbente, alterâ terreâ, crassâ, fixâ, succum vitriolicum in ventre suo absconditum habente. Videantur hac de re HELMONTIUS & Excell. TACKIUS in libr. germ. von dem neu entsprungenen Heylbrunnen nuper edito.

§. 8. Pari ratione quod dixi de Sulphure, etiam de
Sale

Sale Nitri intelligere volo. Salium natura Medicè sum-
ta ut sat agitata est inter ZWELFERUM & TACHE-
NIUM, ita eadem hoc loco mitto & dico saltem, quòd
Physicè Sal accipiatur duplici modo, vel pro materia
propinqua metallorum, vel pro minerali. Qui Sal pro
materia propinqua habent, sunt præcipuè Chymici, ex
quibus etiam nonnulli contrarium sentiunt, veluti KY-
PERUS, qui putat in Resolutione Chymica, Sal potius
esse productum, quàm per resolutionem eductum. Quam
tamen controversiam non facturum sum meam, qui hîc
Sal non ut principium aut materiam propinquam, sed ut
succum mineralem sive corpus metallicum friabile, ex
succis humido, crasso, terreo, mixtis & decoctis genitum
& ad usum Mechanicum vel Medicum utile considero.

§. 9. Carbores pro pulvere tormentario conficien-
do ex salice potius, quàm ex alia lignea materia paran-
tur. Quare ex permistione nitri, sulphuris, carbonum,
& portionis aquæ vitæ inspersâ efficitur & componitur
pulvis prædictus. Possis & huc referre das Holländische
oder Indianische Büchsen-Pulver/ quod celerrimè flam-
mam concipit. Mutus quomodo efficiatur, ne frago-
rem edat, per additamentum aliquod, videatur H E E R-
TODT. in sua Prologia ante aliquot annos editâ.

§. 10. Causas reliquas fracturarum & luxationum
cùm quandoque eandem cum vulneribus agnoscant, etsi
vel maximè interdum diversam habeant, ad curam ta-
men non adeò multū faciunt, iis recensendis supersedeo.

CAPUT IV.

Differentias explanat.

§. I. PLures enumerantur apud autores differentia
vulnerum, recensebimus saltim eas, quæ ex de-
C
finitione

definitione fluunt, & Chirurgo sagato præcipuo usui esse, possunt, & quidem distinguendo eas in tres classes, ubi singula claslis aliquid peculiare portendit.

§. 2. Primam classem constituunt causæ, secundam pars affecta, tertiam accidentia. Differentia, quæ à causis sumitur, varia est; etenim si (1) in parte molli per armorum acutiem facta fuit divisio, dicitur punctura sive confosio, ein Stoß / oder Stich / oder eine gestochene Wunde. (2) Si in cute, carne & reliquis mollioribus partibus, cæsimq; illata est divisio, tunc *ἰεγὼμα*, hoc est, vulnus in specie appellatur, Germanicè ein Hieb oder eine gehawene Wunde. (3) Si sclopeto vel per globum bombardicum illisum seu inflictum est vulnus, vocatur ein Schuß oder eine geschossene Wunde. (4) Si per concussio- nem vel arma obtusa inductum est vulnus, simulq; adest incisio & contusio, appellatur eine geschlagene oder gestos- sene Wunde.

§. 3. Alteram classem constituit pars affecta, quæ interdum ita est comparata, ut peculiare quid in ejus cura- tione attendendum veniat. Respectu enim partis (1) si- milaris organicæ vulnus vel est venarum, vel arteriarum, vel nervorum, quò spectant & tendines & ligamenta, Germanicè eine Scheurung; in epidermide excoriato. (2) Respectu dissimilaris organicæ pars est vel nobilis, ut cerebrum & cor; vel pars ad vitam simpliciter neces- saria, ut pulmones cum aspera arteria, diaphragma, gula, ventriculus, intestina, mesenterium, epar, renes & vesi- ca, & quæ ex analogia, vel ex vasorum genere huc spe- ctant; vel pars ad vitam simpliciter non necessaria, ut mediastinum, omentum, peritonæum, quò pertinent & partes organicæ externæ, ut capitis exteriores, palpe- brarum, oculorum, aurium, linguæ, labiorum, thoracis, abdo-

abdominis, umbilici, penis, testium & artuum; Quæ omnia germanica nomina sortiuntur pro ratione partis læsæ.

§. 4. Tertiam classem faciunt accidentia, quæ multifariam considerantur, vel enim (1) respectu magnitudinis, sic HIPPOCRATES magna vulnera, quæ lethalia sunt, discissiones solet appellare, ut vulnus in cerebro, cum ad aliquem ejus ventriculum pervenerit, 6. aph. 18. In carne musculosa, ubi nimia labrorum est diductio, FELICI WÜRTZIO vocatur eine Schlein-Wunde / aliis eine Flerren / part. 1. c. 3. Ictis, quæ habent profunditatem unguis, & longitudinem longissimi articuli in medio manus digito, eine Kampffer- oder Fleisch-Wunde. Confer & hinc Excellentissimi AMMANI Medicinam Criticam. (2) Respectu eventus, tunc alia vulnera sunt secura & facile curabilia, ut in carne musculosa, partibus externis, per accidens aliquando nihilominus lethali- bus, &c. alia simpliciter lethalia, ut in partibus nobilibus vel ad vitam simpliciter necessariis; alia periculosa, in partibus internis, ad vitam simpliciter non necessariis; alia infliguntur loco corporis non periculoso, & ex quibus clauditas non sequitur, recipiuntq; longitudinem & latitudinem, sine tamen profunditate, Germanicè offene Wunden; alia infliguntur isti corporis parti, ex quibus sequitur deformitas, nuncupanturq; mutilationes, putà, beyde oder ein Auge auß / Nasen abe / Wunden über die Backen oder sonsten unter dem Angesichte / Ohren abe / Wunden / so die Haare auff dem Kopffe nicht wieder bedecken / &c. alia infliguntur juncturis, quæ sequitur conductio & claudicatio, putà manuum, brachiorum, pedum, crurum & similium, Germanicè Lähmden. (3) Respectu conjunctorum vulnus aliud est simplex, aliud reduplicatum, compositum,

& comitatum. Simplex vulnus est, cui nec plures nec ulla Symptomata sunt adjuncta; reduplicatum est, ubi in cute unum vulnus est, in musculis verò sub cute duo vel tria; aliud compositum & comitatum, cui vel intemperies aut venenata qualitas, vel partis vulneratæ vitiosa conformatio vel compositio est copulata. Exemplum habes in iis vulneribus, qui vocantur *Beinschrötige Wunden* quæ infliguntur capiti per cranium aut crura in iis locis, ubi natura non patitur scissuram ossium vel carnis ad profunditatem unguis; item in vulneribus cum contusionibus, ubi caro contunditur, contusa corrumpitur, corrupta sanguine & spiritibus privatur, tuncq; præcipuè, si est cum substantiæ amissione. Quibus omnibus accensetur hernia, morbus gallicus, cancer, hæmorrhoides, &c. de quibus FEL: WÜRZLIUM & alios bonæ notæ Chirurgos consule.

§. 5. Reliquæ differentiæ ad praxin parum aut nihil facientes videantur alibi.

§. 6. Ossa dura frangi, eorum connexionem & compositionem dislocari, ossa molliora, musculos, tendines, nervos, venas, arterias, & omnes reliquas, quæ sub ossium durorum compage non comprehenduntur, pro instrumenti ratione propriè vulnerari semel pro semper dictum esto. Posteriora hic potissimum scrutamur, reliqua verò priora ex accidenti & tanquam vulnerum conjuncta expendemus.

§. 7. Franguntur ossa in longitudinem, ut ligna finduntur, quæ fractura *ἰσχυρῆς* recta, propriè fissura dicitur, GALENO *ῥιδακτῶν* facta, aliàs in transversum, quæ fractura propriè dicitur, aliàs *ἐγκάρσιον* transversa dicta, aliàs in obliquum. Prætereà quia os nonnunquam in plures partes contritum est, fractura hæc dicitur

σπινθηρῶν

σύντριμμα comminutio, GALENO fractura καρυιδόν facta, in modum contusarum nucis testarum.

§. 8. In capite hæc unitas soluta peculiaria nomina obtinet, quorum numero quinque sunt, ut: ῥωγμή, φλάσις, ἑσφλασις, ἕδρη, ζυμοφορῆ. De quibus consule sis HIPPOCRATEM & alios.

§. 9. Luxationum differentia itidem sunt varia: 1. alia enim ἐξάρθρωσις est imperfecta, quæ παραρθρωσις subluxatio, ab HIPPOCRATE Διακίνημα, à nonnullis contorsio nominatur, cum videlicet caput articuli à sua sede aliquo modo dimovetur, sed non prorsus excidit, quæ luxatio imperfecta in omnibus articulis fieri potest, præterquam in femore & humero, uti docet HIPPOCR. 2. Perfecta, quæ nomen generis retinet, & HIPPOCRATI ὀλίθημα dicitur.

§. 10. Deinde consideratu dignum est, quòd omnis luxatio tribus modis fiat.

§. 11. Primus modus est in anteriorem & posteriorem; secundus in interiorem vel exteriorem, seu versus dextram & sinistram; tertius in superiorem vel inferiorem, quando scilicet id, quod naturaliter superiori loco esse debebat, excidit versus inferiora & contrà.

§. 12. Nec minùs notatu dignissimum est, quòd nonnulla ossa in omnes differentias excidere possint, alia in certas tantùm, pro articulationis ratione. Ex. gr. (1) Cubitus, manus, femur versus anteriora, posteriora, interiora, exteriora. (2) Genu in partem exteriorem, interiorem & posteriorem, non verò in priorem ob patellam, sicut nec versus superiora, inferiora. (3) Humerus sub alam luxatur, non verò sursum ob processus. (4) Vertebrae in spina in partem posteriorem & priorem, sive versus anteriora & posteriora, nonnunquam ad alterutrum

terutrum latus. (§) Maxillæ solùm in partem anteriorem, non verò in posteriorem, quia os impedit, ut ad dextrum non possit, prohibet caput maxillæ sinistrum, & sic in aliis.

CAPUT V.

Signa diagnostica & prognostica delineat.

§. I.

Circa signa diagnostica etiam occupatus est Medicus, qui, antequam prognosin instituit, prius morbum ab alio ritè distinguit. Ritè autem is ipse morbum inter noscit, qui à causis initium faciens ad partem affectam, ab hac ad accidentia progreditur. Causarum diagnosis fat est evidens, sunt etenim eæ, ut suprâ dixi, varia instrumenta bellica, nonnunquam succis lethiferis intoxicata, siquidem multæ in natura mixtiones reperiuntur adeò venenatæ & pestiferæ, quæ si iisdem sagittæ, vel ensis, aut globuli, sive plumbei sive alterius materiæ tinguantur, homines interficiunt, veneno subtili à minoribus venis ad majores, inde ad arterias & viscera principalia sensim serpente.

§. 2. Consistit autem causæ hujus venenatæ diagnosis potissimum in eo, quòd in loco vulnerato doloris sensus sit major, partisq; vulneratæ color naturalis in nigrum & lividum degeneret, adsint præterea cordis angustia, tremores, lipothymia & alia signa morbis malignis simul sumta propria.

§. 3. Deinde cum etiam, ut dixi, ad curationem faciat instrumentorum, quibus quis læsus est, cognitio, ea partim cognoscuntur ex patiente, partim ex vulnere, e.g.
si vul-

si vulnus à sclopeto inflictum est, foramen ut plurimum, circulem obtinet figuram cum colore livido, ad nigredinem vergente, laceratione, substantiæ amissione & aliis accidentibus, ex quibus pars sauciata tota est depravata.

§. 4. Respectu partis affectæ sive morbi, vulnus aliud est, quod infligitur similaribus partibus, & visu dignoscitur. Læsæ quippe venæ minoris signum est, quando profluvium sanguinis est æquale, substantia ejusdem crassior, & color ruber; venæ majoris læsæ, quando profluvium est vehementius & animi deliquium. Signum arteriæ læsæ est, si sanguis, qui egreditur, est magis flavus, subtilis, calidior, & pulsans, imò ad singulos arteriarum pulsus exilit, cum profluvio majori & lipothymia crebriori. Nervi læduntur vel punctim, vel cæsim, vel secundum longitudinem, vel transversim, vel discinduntur toti vel non. Punctim si læduntur, tunc foramen est angustius, dolor exquisitus, nonnunquam cum inflammatione totius membri, quæ interdum febrim, causatur, nonnunquam caput in consensum trahit, accidentibus convulsionibus. Deinde si secundum longitudinem læsi sint nervi, non ita afficiuntur fibræ, ac si per transversum, totusq; non est discissus nervus, sed adhuc partibus continuus.

§. 5. Porrò quæ dicta sunt de nervis & tendinibus, fibris, membranis & ligamentis, (si musculo inseruntur, quia nervos & tendines in consensum trahere valent, cum per se sensu destituantur) quodammodò applicari possunt, modò observetur, si in musculorum capitibus vulnus sit, nervum, si in finibus & prope articulos, tendinem vulneratum esse.

§. 6. Verùm enim verò rarò hæ partes similes in
praxi

praxi solæ occurrunt, sed quatenus huic vel istæ parti magis organicæ læsæ combinantur; par est idcirco accedamus ad partes magis organicas, quas supra diximus vel nobiles, vel ad vitam simpliciter necessarias, vel simpliciter ad vitam non necessarias. Excipis: Quòd minus Medicè dictum sit, partes nostri corporis non omnes ad vitam esse necessarias. Verùm impræsentiarum non sermo est de statu corporis humani saluberrimo, & plenariâ actiones omnes perfectè exercendi potentiâ, sed quatenus Medico prognosis inde est elicienda, & nunquam super lethalitate vulnerum sententia est dicenda, & quo sensu omninò appositè dictum comperies.

§. 7. Ex partibus organicis primus locus debetur nobilibus, exq; his cerebro cum spinali medullâ. Si itaque membranæ cerebri sunt læsæ, adest insignis dolor, qui ferè momento accedit, adsunt angustia, vomitus, & interdum sanguinis ex oculis, auribus & naribus cum delirio & mentis amissione stillicidium, præcipuè si vulnus punctim factum est. Si cerebrum in substantia læsum est, dicta signa sunt majora, vomitus est biliosus, quem sequitur febris, & si læsa pars est contrusione, patiens amittit loquelam, cum succedente apoplexiâ; si vulnus punctim factum est, mentis & loquelæ privatio eò est periculosior. Huc pertinet etiam spinalis medulla, quæ quò pars vicinior cerebro, eò periculosius est vulnus, majoraq; excitat Symptomata. Ex. gr. Spinali medullæ supra thoracis & medias cervicis vertebrae ac per transversum imprimis inflictum vulnus subjacentes partes omnes sensu privat & motu, ac respirationem consequenter planè aufert, cum læsâ ita medullari spinæ substantiâ per nervos ex vertebrarum foraminulis ab ea in utroque latere prodeuntes, nec ad musculos intercostales,

les, nec ad ipsum diaphragma amplius distribuuntur spiritus, quibus denegatis cessat respiratio, & vulneratus suffocatur & moritur; Si verò in inferioribus partibus vulneretur, præter alia symptomata etiam stercoris & urinæ suppressio, vel involuntaria excretio adest.

§. 8. Pericardium si est læsum, accedunt frequentia animi deliquia cum aliis symptomatibus; Si cor ipsum vulneratum est, momento ferè reliqua membra præcipuè exteriora frigescunt, calor naturalis aufugit, morsq; paulò post sequitur.

§. 9. Ex partibus simpliciter ad vitam necessariis si pulmones cum aspera arteria læduntur, percipitur in lingua medicamentorum applicatorum sapor, aërq; vulnere egreditur, læsiq; pulmonis excrementa tum ex ore, tum ex vulnere proceduntia sunt pallida & spumosa cum difficili respiratione.

§. 10. Si diaphragma quoad partem nervosam est læsum, sequuntur convulsiones interiorum partium, difficultas respirandi, febris ardens, emotio mentis & tandem mors; Si verò idem læsum est quoad partem carnosam, tantus Symptomatum concursus non est, vulnus etiam remedia admittit, sæpèq; curatur. Huc pertinent nervi recurrentes, qui si lædantur, amittit patiens loquelam, omnisq; spes ad eam recuperandam est decollata. Pari modo si venæ majores & arteriæ pectoris læduntur, succedit insignis hæmorrhagia, quæ implet totam thoracis cavitatem, quam sequitur prostratio virium, sudor frigidus & foetidus, qui prodromus est certissimæ mortis.

§. 11. Si gulæ inflictum est vulnus, duo emergunt Symptomata, dolor scilicet vehemens & tumor insignis, iste ob membranofam gulæ substantiam, hic ob ejusdem crassitiem & soliditatem.

D

§. 12.

§. 12. Si ventriculus in sua cavitate læsus est, chylus per vulnus transit, quem sequitur vomitus continuus, singultus, lipothymia & tandem mors ipsa.

§. 13. Si intestina vulnerata sunt, feces viâ ordinariâ non excernuntur, sed retinentur intra abdomen, interdum etiam è vulnere egrediuntur cum insigni foetore & corruptione; Si intestina tenuia vulnerata sunt, materia vulneris est incocta; si intestina crassa, tunc materia vulneris est magis excocta, crassior & densior.

§. 14. Mesenterium, quò & refer pancreas, vix læditur, nisi & intestina lædantur, Symptomata verò tantæ considerationis non sunt, si vasa majora excipias.

§. 15. Signa læsi epatis sunt vomitus, hæmorrhagia nimia, (præprimis si vasa insigniora ex ascendentibus & descendentibus lædantur) dolores acuti non solum in hepate, sed etiam in proximè adjacentibus partibus, febris continua, & si vulnus est profundum, adsunt lipothymia, sudores frigidi, quos tandem mors ipsa excipit.

§. 16. Idem iudicium esto de læso liene mutatis mutandis.

§. 17. Signa vulneratorum renum sunt retentio urinae, quæ ex hac causa evenit, quia major ejusdem quantitas in abdomen profluxit.

§. 18. Signa vulneratæ vesicæ sunt ferè similia vulneratis renibus, si verò vulnus est profundum præcipuè in parte nervosa, sequuntur vomitus, delirium, intumescencia ventris & sæpè mors.

§. 19. Reliqua signa læsarum partium tum interiorum tum exteriorum, quia partim non sunt periculosa, partim etiam, quia sensui patent, tantâ diagnosi non indigent, sedulitati Chirurghi meditanda relinquo.

§. 20. Ossium fracturæ, si complicantur cum vulneribus,

neribus in cranio cognoscuntur per signa vel contusioni,
vel effracturæ, vel sedi, vel resonitui propria; Si in aliis
partibus, cognoscuntur vel tactu, vel membri malâ figu-
râ, dolore intensissimo & amissione actionis vel motus
ejusdem membri.

§. 21. Sic cum luxatione, dignotio eadem est cum
fracturis, si cranium excipias in quibusdam.

§. 22. Sequitur Prognosis, quæ etiam sumitur à cau-
sis, vel à parte affecta, vel ab accidentibus, triplex q̄; vul-
gò statuitur, vel coctionis & cruditatis, vel vitæ & mor-
tis, vel critica. Tanta verò solertia sive crisis in præsa-
giendo non requiritur, si quis hæc tria inter se probè con-
sideraverit, & exinde suam conclusionem formaverit.
E.g. Sit vulnus capitis, ubi cranium per nasi radices &
majorem oculi sinistri angulum telo acuto pertutum est
cum profunda cerebri læsione; hinc finge, patientem in
terram concidere quasi apoplecticum, obmutescere, vo-
mere, &c. Prognosin si quis ex me hic quæreret, dice-
rem, vulnus hoc esse simpliciter & absolutè lethale, quia
(1) cerebrum ut pars nobilis; (2) profundè satis ac per
mediam ipsius medullam ventriculosq̄; vulneratum est;
nec (3) curationem ob loci incommoditatem, vel (4)
Symptomatum gravitatem admittit; in terram enim ful-
mine quasi percussus concidit, læso violenter sensuum
motusq̄; organo; obmutescit, evomit ob linguæ & ven-
triculi amicam cum cerebro consensum; apoplecticus
redditur ob impeditum & abolitum spirituum anima-
lium motum atque influxum, & sic de cæteris. Pruden-
ter verò hic illum agere Chirurgum puto, qui causas ex-
ternas, si venenatæ quandoque à non venenatis discrimi-
nans coctionis signa, quæ in purè laudabili consistunt,
observat & signa salutis & mortis ex pluralitate & pau-
citate

citare accidentium signis criticis circa nonum diem ut plurimum eventibus contradistincta ingeniosè dijudicat atque prædicit.

CAPUT VI.

Vulnerum curationem ex fonte

Chirurgico deducit.

§. I.

Chirurgus sagatus ex universis Chirurgiæ operationibus necesse est, ut in genere attendat 1. explorationem, 2. fasciarum circumductionem, 3. laqueorum injectionem, 4. spleniorum applicationem; in specie primariò 1. synthesin, 2. diæresin, 3. exæresin, 4. aphæresin, 5. diorthosin; secundariò 1. ignem actualem, 2. pulverum insersionem, qui est vel sanguinem sistens, vel Cathæreticus, &c. 3. emplastrationem, sub qua defensiva, sparadrapa, opoteldoch, &c. 4. cauteria potentialia, 5. injectiones, quæ posteriora duo nonnunquam occurrunt. Reliquæ Chirurgiæ operationes cum vel ornatum spectent, vel ea præsidia suppeditent, quæ vita militaris non admittat, non immeritò hic exulare jubentur. Hinc MINDERERUS ejusq; commentator D. JOH. SCULTETUS über die Kriegs-Arsney: Keines Pomerankens Sälbleins/oder wie es die gemeinen Leute benohmsen/ hart Apffel-Schmalz bistu nohtdürfftig / denn du gehest hie zu keinem Adelichen Tanke / sondern zu einem Ernst / und stehet einem Kriegsmann viel besser an / er habe ein saures / rostiges Angesicht / voller Riß / Schrammen / Nasen / und Dupffen / als daß er mit wolriechender Lauge und schmäckender Seiffen gewaschen auffziehe / als ob er auß dem zarten Frauenzimmer und linden Bettlein fein sauber gekämmet herfür käme. &c.

§. 2.

§. 2. Ex generalibus porrò Chirurgus probè obser-
vet, quæ notat idem celeberrimus MINDERERUS in
seiner Kriegs-Arsney seqq. verbis: So mercke mich nu in
diesen / wie ich meinem process nach dich ins Feld staffiret zu
seyn vermeyne. Erstlich mustu dich versehen mit allerhand
Binden / so zu Umbschlägen / Einrollen / Beinzwingen / Ader-
lassen / Einfässchen / auch dergleichen Sachen mehr tauglich
seyn; item mit zarten Fasen / zarten Lümplein / Zopffetlein /
abschabend / klein und grossen Bäuschen / Schlingen / zc. so taug-
lich seyn / benebenst zarte Hundes-Häutlein / so bisweilen ge-
brauchsam und offte erfordert werden / mit dir nehmen. Dis
soll alles geschmeidig / und die Leinwand linsig / und abgetragen
seyn / von alten zerlumpten Hemden und Leinlachen / denn diese
sich satter und milder anlegen / als die von neuer Leinwand ge-
machtet werden / so keinen Saum oder Gebrämwerck an dem
Rand durchaus haben sollen / denn sie sonst in die Haut schnei-
den / und viel Ungelegenheit dadurch verursachen. zc.

§. 3. Ratione operationis specialis inveniet Chirur-
giæ Studiosus apud Scriptores Chirurgicos instrumenta
plurima, quæ potius expedit oculis usurpari in arma-
mentario Chirurghi exercitati, quàm describi. Interim
quæ ordinariè in theca coriacea à Chirurgis circumfe-
runtur, & quorum frequentissimus apud illos est usus,
sunt 1. novacula, 2. phlebotomum, 3. forfex, 4. volsella,
5. specillum, 6. spatha, 7. separatorium, 8. canaliculus fo-
ratus cum acubus, 9. lintea concerpta, vide sis H O R-
N I U M Lugdunens. Microtech. p. 27.

§. 4. Ratione medicamentorum applicativorum
præcipua sunt, ferèq; penes se semper asservet sequentia
Chirurgus: 1. Pulverem, qui sanguinem sistat, 2. Ungv.
digestivum, 3. Balsamum vulnerarium, 4. Ungv. mundi-
ficativum sive Sarcoticum, 5. Ungv. & pulverem anody-
num,

num, 6. empl. & ungv. defensivum, 7. emplastrum adstringens sive Hesse-Pflaster / 8. emplastrum catagmaticum sive Bruch-Pflaster / 9. Opoteldoch, 10. lapidem medicamentosum, 11. pulverem, qui sanguinem congruatum dissolvat, 12. eine Pulver-Lösung / ut aliquid Chirurgorum consuetudini detur.

§. 5. His præliminaribus instructus Chirurgus conceptum generalem speciali applicat, mentemq; ad causas ob rationem superius allatam dirigit, per quas sagittas, tela, sive armorum frustra, fragmenta, globulos, & ab his in vulnus raptas ligni festucas, papyrum, vestimenti particulas, cum hujus generis aliis, & per hæc eadem venenum corpori humano illatum intellecta volo.

§. 6. Ut autem de reliquis instrumentis nihil dicamus, præcipua solertia videtur versari in extrahendis globulis, ad quam intentionem assequendam varia à variis Chirurgis excogitata sunt instrumenta, quorum figuræ hinc inde videri possunt apud autores celeberrimūq; nostri seculi Chirurgum Dn. D. SCULTETUM in suo armamentario Chirurgico.

§. 7. Lite verò omni sepositâ, an videlicet per dicta instrumenta sola, an per convenientia emplastra magnetica sola globulus sit extrahendus? non sine ratione cum facturum autumo, si utraque pro necessitatis exigentiâ conjunxerit, & nunc hæc, nunc illa ex artis præscripto permutare noverit, & si primo apparatu globuli eâ viâ, quâ ingressi sunt, vel eâ, quâ tendunt, commodè extrahi vel emplastris vel instrumentis, tum ob profunditatem, tum ob partis nobilitatem non debeant vel non possint, negotium totum naturæ committatur, vulnusq; apertum seruetur per adhibita suppurantia, non intermissis emplastris magneticis & aprâ membri, ut suo pondere globulus exeat, collocaione.

§. 8.

§. 8. Manum equidem Chirurghi expeditam præsupponit modus extrahendi globulos, sed longè expeditiorem postulant tela si fuerint venenata intraq; vulnus adhuc hæreant, unde maximè eò allaborandum, ut manus operà quamprimùm eximantur, id quod si præstari non possit, tota spes collocanda erit in emplastris alexipharmacis, iis mixtis tela & alia peregrina corpora è vulneribus extrahere valentibus, non neglectis sudoriferis, quandoquidem frustra, nisi venenum extrahatur, tentatur curatio, de qua plura dicturi sumus ad partem affectam jamjam devenientes.

§. 9. Impossibile autem erit singularum partium vulnera eo modo tractare, ut eorum cura cum minutissimis & specialissimis circa eandem observandis tradatur, quandoquidem hac ratione scopus dissertationis excederetur, pagellarumq; numerus nimis excreceret, unde medium, nî fallimur, tenentes eam servabimus methodum, quæ ex æquo omnibus vulneribus quocunque modo inflictis quodammodò adaptari possit.

§. 10. Partis igitur vulneratæ curatio in duobus membris principalissimis consistit: Primum est, ut membrum vulneratum vel læsum in formam suam priorem redigatur, ubi dexteritas Chirurghi præcipuè spectatur; alterum est, ut labia vulneris verè conjungantur, quod solius naturæ opus est.

§. 11. Ut autem primum membrum, remotis, uti decet, priùs, si possibile, causis evidentibus, ritè à Chirurgo absolvatur, & reliquum naturæ ad perficiendum relinquatur, quatuor intentiones juxta oculos semper positas habeat Chirurgus.

§. 12. Prima erit, ut dexteritate Chirurghi singulæ partes suo loco adaptentur, e. g. vena venæ, arteria arteriæ,

riæ, nervusq; nervo, & sic consequenter; Secunda erit, ut id, quod suo loco redditum est, suo etiam loco retineatur, quod fit per ligaturas & suturas.

§. 13. Ligaturarum proinde species præcipuæ sunt tres; Prima vocatur incarnativa, secunda expulsiva, & tertia retentiva: De singulis tantum, quantum postulabit instituti ratio.

§. 14. Ligaturam incarnativam voco, quæ labia vulneris loco debito reddita in eodem conservat, ut natura eadem meliùs conjungat, & defectum carnis eò citiùs suppleat. Fit hæc eadem ligatura sequenti modo: Recipe fasciam mundam, levem, mollem, aliis usibus ex parte attritam, validam tamen, neque confusiones, neque exstantias habentem, ejus longitudinis & latitudinis, quoad requirit magnitudo & forma partis vulneratæ, hæc fascia jam ex utroque extremo convolvatur in orbem, & medium fasciæ parti vulneris oppositæ (cui, si necessitas requirit, utrinque idoneis spleniis prospiciatur) applicetur, postea circa membrum semel vel bis decussatim circumvolvatur, inferiore ejus parte per inferiorem membri partem, superiore per superiorem circumductâ sine plicis ullis & cavitatibus maximos dolores & affluxum humorum causantibus.

§. 15. Altera ligaturæ species vocatur expulsiva, quoniam humores in articulis delitescentes expellit & impedit eorum influentiam. Modus verò hujus ligaturæ est talis; Fascia ex uno capite convolvitur inchoaturq; circumductio paulò infra partem affectam, (cui etiam idoneis spleniis debet prospici) & ducitur versus abdomen subinde arctiùs stringendo nimirum humorum affluxum impediendi gratiâ.

§. 16. Tertia ligaturæ species appellatur retentiva, quæ

quæ præcipuè conformationem partis læsæ sive fauci-
tæ spectat, sic luxata ossa, ut & fracti ossis partes post
conformationem debitam in suo situ continentur.

§. 17. Ut autem harum fasciarum usus tantò sit insi-
gnior, longitudo earum debet esse tanta, quanta postu-
lat pars læsa, veluti latitudo erit sex digitorum ad omo-
platas seu scapulas, quinque digitorum ad femur, qua-
tuor ad tibias, trium digitorum ad brachium, unius digi-
ti ad digitum obligandum, semper plus minus juxta pro-
portiones membrorum.

§. 18. Deinde quemadmodum cognitio ligaturarum
maximæ est necessitatis: ita etiam modus eas solvendi
accuratæ est observationis. Hæc cautela ut observe-
tur, debent ligaturæ solvi tantâ cum lenitate & tactus le-
vitate, ut, si fasciam dextra solvat, sinistra non solutam
custodiat, ne musculus lædatur, unde maximus concita-
retur dolor & inflammatio; pari modo si fascia nimis ex-
siccata vel indurata sit, debet ea prius vino calidiusculo
vel oxycrato irrigari, & postmodum à parte superiore,
versus inferiora, non verò ab inferiore versus superiora
solvi.

§. 19. Hæc de ligaturis. Suturarum species itidem
tres sunt, quarum prima incarnativa, altera restrictiva,
& tertia retentiva.

§. 20. Incarnativa, quæ vulneris labia continet, fe-
rè est communissima, perficiturq; quinque modis: Pri-
mus est, quando punctus primus fit in medio vulneris,
alter ad latitudinem digiti transversî superior, & sic de-
inceps ad extremum usque vulneris; similis processus
instituendus est cum altera parte deorsum versus. Ob-
serves tamen, ut puncturarum initium facias ab exteriori
parte vulneris, acusq; cuspis è vulnere exeat, præ-
E
tereaq;

tereàq; vulneris labiis canalis idoneus apponatur cum hac cautela perpetua, ne punctus, quàm necessitas requirit, fiant profundiores, & sic reliquæ partes lædantur. Recentiores equidem Chirurghi sunt in hac opinione, ut antequam factò nodo filum primi punctus reseccetur, punctus secundus fiat inchoandus ex altera labii parte, verùm cum res non sit tanti momenti, cujusvis voluntati hæc curiositas relinquatur.

§. 21. Secundus modus fit, quando utraque vulneris labia acu conjungimus, eadem in carne relictæ filum circumglomeramus, uti solent sartores acus in vestibulis fixas asservare.

§. 22. Tertius modus fit per emplastra duo glutinosa ansulis idoneis instructa, adq; latera vulneris utrinque ita apposita, ut recta sibi respondeant, ne in corrigendis & colligandis ansulis vulneris labia potius diducantur vel distrahantur, quàm adducantur. Usus hujus futuræ præcipuus videtur esse in vulneribus faciei sive substantia tenera, futuram, quæ acu fit, ob deformitatem non ferentibus.

§. 23. Quartus modus vocatur peculiari ferè nomine Gastroraphia, perficiturq; eo modo, quo primus, saltem cum hoc discrimine, ne peritonæum utrinque simul consuatur, sed intacto nunc hoc, nunc illo latere musculos abdominis cum eo conjungat, quod confert ad meliorem carnis & peritonæi unionem.

§. 24. Quintus modus perficitur acu duplici, quando decussatim vulneris labia transfiguntur, acusq; filo circumducitur, ut superius dicebatur; usus ejus est in læso umbilico.

§. 25. Altera futuræ species vocatur restrictiva, quæ sanguinem sistit, cujus usus præcipuè spectatur in
vulne-

vulneribus intestinorum, eâq; ratione prorsus perficitur, quâ pelliones pelles consuere solent.

§. 26. Tertia species vocatur retentiva, quæ adhibetur in vulneribus magis patentibus ad labia eorum continenda, perficiturq; eâ ratione, quâ incarnativæ prima, saltem intercedente hoc discrimine, ne labia vulneris inter se ex toto se contingant, ut, si quid intus humoris concreverit, sit, quâ emanet. Et tantum etiam de hac intentione.

§. 27. Interim melioris intellectus gratiâ meretur observari hoc, quod suturâ opus sit, quando vulnus est simplex, vel labii majoris, ligaturisq; vel fasciis non continetur; quando verò est cum substantiæ amissione, utpote in contusionibus, vulneribus sclopetorum globis inflictis, capitis & juncturarum id ipsum est prohibitum; deinde suturæ tamdiu in vulnere sunt relinquendæ, donec operationem fecerunt suam ex dispositione partis læsæ dignoscendam.

§. 28. Necessaria etiam ad curanda vulnera sunt lintea concepta cum idoneis penicillis sive turundis ad eorundem coalitionem vel impediendam, quod evenire potest, si quid præternaturale in vulnere adhuc animadvertitur, vel ad eorundem purificationem, medicamentorumq; fluidiorum promotionem. Eadem verò quomodo concepti vel turundæ fieri debeant, ad Chirurgi *ἐγχειρήσεις* pertinet, qui omnia ad fauciatæ partis & membri commodum dirigat, sedulò cavendo, ne temerè turundis utatur ad partes nervosas, quandoque non, quandoque cum medicamentis vulnere convenientibus irrigatis atque illitis.

§. 29. Tertia intentio respicit partis affectæ temperamentum, quod Chirurgus conservet per diætam, vocaturq;

caturq; regimen commune; vel per remedia topica, & vocatur regimen speciale. Commune illud pertinet ad peculiare huic intentioni assignatum caput; speciale verò tertiam hanc intentionem constituit.

§. 30. Obtinebit Chirurgus eam ipsam intentionem, si 1. affluxum humorum ad partem affectam impediat. 2. Vulnus, si pars requirit cum ejus temperiei naturalis conservatione statim glutinet, si non 3. suppurationem digestivis admixtis Sarcoticis & glutinantibus juvet. 4. Sarcotica cum iis, quæ Balsamum naturalem conservent, administret, & tandem 5. glutinantibus & epuloticis vulnus claudat.

§. 31. Inter ea verò, quæ affluxum humorum prohibent, eminet empl. diapalma in oleo rosarum dissolutum, item de spermate ranarum & unguentū nutritum.

§. 32. Deinde si vulnus statim glutinari debet, maximæ virtutis perhibetur emplastrum sequens, quod intra 24. horas vulnera consolidat, & Balsamum naturalem potenter confortat.

℞. Olei ovorum ℥iij.

Mumiæ.

Sanguinis Draconis.

Terræ sigillatæ ana ℥j.

Salis calcinat. ℥iij.

Camphoræ.

Colophonæ.

Terebinthinæ ana ℥ss misce.

F. l. a. emplastrum.

§. 33. Si suppuratio est juvanda, egregia digestiva tibi suppeditant observationes Marchettis, quæ consulendæ, nec è postremis sunt ungv. maturativum Fel. Würtzii, empl. diachylon cum gummatibus, vel ex mucilagi-

cilagibus oleo Cham. R. lil. alb. malaxatum & cum idoneis nonnunquam turundis applicatum.

§. 34. Inter Sarcotica veluti inter viburna cupressus eminet ungv. purpureum Fel. VV. succedit empl. sticticum Crollii, Paracelsi, si ad necessitatis exigentiam Balsamica interponantur, inter quæ palmam præripit reliquis pluribus Balsamus Hypericonis, juxta Lobelium saltem, & ex eo secundum Simonem Pauli in Quadripartito Botanico p. 350. paratum.

§. 35. Pluribus intentionibus satisfacit quoque empl. aur. celeberrimi olim Medici D. Michaëlis ex antimon. cerussâ, gummatibus aliquot, musco cranii suspensi, mumiâ, lythargyrio aur. foliis aur. &c. compositum. Quò etiam spectant Opoteloch vel alia pluribus indicationibus inservientia emplastra & ungenta.

§. 36. Nec oblivioni tradendum est magma istud residuum post confectionem celeberrimi Balsami Angelici à Dn. D. Mavio, Physico olim Zwickaviensi, inventi, quod veluti protheus inservit Chirurgo nunc pro digestivo, nunc Sarcotico, nunc balsamicâ virtute variâ mixtione exinde resultantibus.

§. 37. Hæc equidem generalia, sed applicabit Chirurgus specialioribus, si consideret causam & partem læsam, videturq; hinc valere Medicorum regula, quòd, qui partem affectam cognitam habet, & medicamentorum facultates perspectas, cum medicamenta idonea nunquam deficient. Hier gilt es nicht / alle Pferde mit einem Sattel reiten. Quædam enim vulnera particulas fractorum ossium habent, quæ maximam curam postulant; quædam sunt venenata; quædam nolunt suppurari, ut vulnera partium nervosarum, ligamentorum, &c. quædam postulant suturam siccam; quædam suturam.

acu faciendam; quædam glutinantia; quædam vix vel planè non ferunt oleosa, ut vulnera capitis; quædam per initia de die semel, ubi pus fluere incipit, de die bis vel ter tandem denuò semel volunt obligari; quædam 24. horarum spatio & sic deinceps.

§. 38. Tantæ verò artis non est, vulnus consolidare, sed potius artis est, morbos & accidentia supervenientia præcavere, & si adsint, de eorum natura rectè & secundum artis præscripta judicare, quod obinetur præcipuè ex proba partis læsæ consideratione.

§. 39. Morbi verò & accidentia, quæ vulnera solent comitari, præcipua dicuntur esse sequentia Chirurgico præsidio curanda, nunc huic, nunc istæ parti magis familiaria: 1. Sanguinis profluvium, 2. dolor ingens, 3. inflammatio, 4. erysipelas.

§. 40. (1) Sanguinis profluvium sistunt, .V S. crocus Martis adstringens, usnea cranii humani pulverisat. aqua spermatis ranarum, in qua dissoluta fuit camphora & crocus, & linteo quadruplicato applicata, gallæ, quæ igne postquam incanduerint, aceto & vino extinctæ, Spertiola Croll. crepitus lupi, alumen ad mentem Borelli, arcanum ex prunella Würtzii & alia. Cauterisatio an tutò in usum trahatur, penes alios sit iudicium.

§. 41. (2) Dolor ingens sistitur unguento anodyno Fel. W. oleo 7. florum Myns. aliis mixto, cataplasmatibus ex emollientibus & anodynis, & si necessitas postulat, narcoticis incorporatis.

§. 42. (3) Inflammatio, V. S. decocto calcis vivæ, Balsamo Saturni, rore vitrioli, infuso sulphuris. &c.

§. 43. (4) Erysipelas unguento liquir. August. ungv. nutrito, pulvere contra erysipelas D. Mich. ungv. Sebizii de acidulis, lacte Chirurgorum aureo, oder die guldene Milch.

§. 44.

§. 44. Si fractura cum vulneribus jungatur, considerandæ sunt differentiæ superius enumeratæ, vulnusq; hac ratione difficilius curatur. Ossa enim sunt prius restituenda, & postmodum vulnus curandum. V. S. celebretur, si jam adest inflammatio, repositio differatur, donec præterierit. Deligatio fit fasciis latioribus, laxioribus, quàm in fracturis sine vulnere, & in emplastri, cataplasmatum, imò fasciarum medio foramen relinquitur, ut purgari queat vulnus. Exulent ferulæ, capsulæ sint ex usu. Fiat deligatio unicâ fasciâ & unicâ circumvolutione, quæ duplici triplicive linteo in plagulæ modum contexta & oris suis dextrimè consuta est tam lata, ut totum vulnus contegere possit.

§. 45. In fracturis cranii caveat Chirurgus, ne decipiatur: 1. cum fissura subest capillaris, 2. cum interna lamina finditur exteriore illibatâ, 3. cum os depressum illicò in nativum locum resilit, 4. cum alterâ parte os ictum est, alterâ fissum, uti hæ cautelæ Chirurgis notæ sunt.

§. 46. Accidentia fracturis propria ferè sunt: 1. Calli justò minoris vel majoris generatio. 2. Ossium fractorum nulla vel parca coalitio. Primo incommodo ex Chirurgia consulitur per V. S. fasciarum majorem adstrictionem vel laxationem, & medicamenta affluxum nutrimenti vel concitantia vel impediencia; altero per modum, quem Celsus graphicè depingit lib. 8. c. 10.

§. 47. Si vulnus cum fractura & luxatione simul sit, cognoscat Chirurgus ossium conjunctionem per varias differentiæ supra enumeratas, consideretq;, an luxatio vel mantili ex collo renodato, vel calce Chirurgi, vel humero altioris ministri, vel perticâ, vel scalâ, vel glosocomio ambi dicto, vel aliis modis restitui possit, quamvis

quamvis fatius esse putet Hippocrates, restitutionem non aggredi, cum eâ tentatâ certa mors, eâ omisâ claudicatio tantum in metu sit; profunt tamen, si spes aliqua subest, decoctum Fl. hyperici, cham. verbasci, nasturtii aq. ungv. althææ, popul. cum oleo hyperici & cham. R. & c.

§. 48. Accidentia, quæ vulneribus cum fracturis & luxationibus Chirurgicis auxiliis curandis superveniunt, collige ex superioribus.

CAPUT VII.

ostendit, quomodo Pharmacia Chirurgicis auxiliis succurrat.

§. I.

I. **R**atione causæ potiones conveniunt, quæ globulos extrahunt, quarum magnam copiam tibi supeditant Chirurgorum libri, hac tamen cum cautelâ, ne omittantur alexipharmaca, si globuli fuerint venenati.

§. 2. II. Pars affecta sive morbus ex hoc capite, maximam attentionem postulat. Res ut per compendium habeatur, eligi debent ea medicamenta, quæ omnibus vulneribus sanandis exhibentur, quæ si desint, præscribantur parti appropriata, eaq; erunt tantò meliora, si particulas fracti ossis simul eliminant, & corpus à veneno, si adsit, præservent, non neglectis ab initio, pro ratione vulneris, ad intercipiendum humorum affluxum, purgantibus, Clysteribus, præcipuè in vulnerib; capitis, sanguinem congruatum discutientibus, adstringentibus mixtis. Pertinent huc ex præcipuis Balsamus vulnerarius Strehlensis, oder der Strehlische Wund-Balsam/ potio vulneraria Simonis Pauli, essentia Bellidum, ocul. cancri, mumia, hyperici, cerefolii, pulvis vulnerarius
D. Micha-

D. Michaëlis, essentia theriacalis & hujus generis alia.

§. 3. Si vulnus cum fractura copuletur, purgatio exulet, Clysteres sint ex usu, qui erunt insigniores, si fractura est in inferioribus partibus. In genere hinc convenit arcanum sive magisterium osteocollæ & pulvis ad fracturas ossium D. Mich. & alia praxin Chirurgicam exercentibus nota.

§. 4. Si vulnus est cum fractura & luxatione, repetantur supra commendata nonnulla remedia; profunt item oculi cancri cum sanguine Draconis tincti, extractum sanguineum Q. & alia.

§. 5. III. Ex morbis & Symptomatibus vulnera consequentibus offert se (1) sanguinis profluvium, cui ex hoc capite obviamitur Tinct. Sulphuris Vitrioli, essent. Symphyti, ess. Martis adstring. Tinct. lapidis Hæmatit. Croco Martis adstr. Spertiola Crollii. &c.

§. 6. (2) Dolor urgens, cui adsunt ut plurimum (3) Vigiliæ, sopiuntur per pulverem anodynum D. Michaëlis, emulsionibus ad cochl. 2. vel 3. propinatis, empl. hypnotico Mys. aqua hynoptica Dorncr. vel conservis granis aliquot laudani opiatu acuatim vel unguentis, plantis & volis manuum illitis.

§. 7. (4) Inflammatio. Maximi hinc valoris sunt Diaphoretica, post detur Nitrum antimoniat. Tinct. bellidis, rosarum, Spir. Sulphuris, Vitrioli Martis, decoctum citri cum aliis refrigerantibus.

§. 8. (5) Erysipelas, quod itidem curatur per expellentia, qualia sunt Sp. ♀ rectificatus cum aqua florum Sambuci, pulveribus cordialibus, Tinct. Bez. Julebo ex rob. Sambuci cum pauco melle & Sp. ♂ aliisq;

§. 9. (6) Animi deliquium, ubi valet aqua Cinnamomi cydoniata, borraginata, Tinct. Corall. Excell.

F

Lange-

Langelotti, liquor Corallorum, Perlarum, ocul. cancr.
conf. Alkermes Syr. Corall. Q. & c.

§. 10. (7) Febris cum delirio, quæ oritur vel ex
motu animi & corporis, atque hinc ortâ sanguinis & spi-
rituum agitatione, vel ex puris generatione, vel ex par-
tis inflammatione, vel ex vitioso humorum in corpore,
stagnantium apparatu; singulæ curentur secundum in-
dicationes & indicata ex suis causis deprompta, in qua-
rum naturam hic non inquirō, quandoquidem chartæ
ratio est habenda; præprimis verò commendabilis est
pulvis ex lapide Bez. ocul. cancr. & Crystall. ☉ justâ
proportione mixtus, si febris accedat in vulneribus à
sclopeto inflictis; in reliquis valet etiam decoctum al-
terans Saxonicum.

§. 11. (8) Epilepsia & convulsio totius corporis,
ubi potionibus vulnerariis addantur pulvis epilepticus
D. Michaëlis, Bartholini, Specif. cephalicum D. Michaë-
lis, aqua epilept. adintra, ungv. nervinum, Balsamus an-
gelicus Mavii & alia.

§. 12. (9) Apoplexia cum paralyfi, ubi itidem va-
let vulnerariis mixta aqua ceras. nigr. Specif. cephalicum,
Balsamus angelicus Zwickav. Sp. C. C. Bez. Solare, Bal-
samus Peruvianus, pulvis paralyticus Hartmanni, ossa
Microcosmi. & c.

§. 13. (10) In vomitu & singultu præprimis pro-
pter consensum cerebri valent aqua cinnam. cydoniat.
ceras. nigr. menthæ Syr. Corall. Q. d. Canella, Tinct.
Corall. Langelotti & Spir. menthæ aliis mixtus.

§. 14. (11) Urina & alvi suppressio quomodo pro-
moveatur, optimè docet Agricola in sua Chirurgia par-
va, qui ibi videatur.

§. 15. Accidentia fracturis propria erant: i. Calli
justo

justo minoris vel majoris generatio. 2. Osium fracto-
rum nulla vel parca coalitio.

§. 16. Primæ intentioni ex hoc capite consulitur
pulvere ad fracturas osium; cui opponitur essentia li-
gnorum simplex vel composita, decoctum nucum cu-
pressi Myns. antipiotis Epiphan. Ferdinand. &c. Se-
cundæ itidem pulvere osteocollæ, singulariter in arca-
num redacto & consimilibus supra recensitis.

§. 17. Vulnerum cum fractura & luxationibus acci-
dentia quomodo curanda, collige ex præcedentibus.

CAPUT VIII.

Diætam præscribit.

§. 1.

ATque hæc de Chirurgia & medicamentis ad vulne-
rum curationem necessariis dicta sunt, restat, ut ali-
quid de diætâ, quæ vulneratis observanda est, dicamus,
ubi equidem consultum foret, diætâ in univèrsam ita
delineare, ut primò ratione causæ, secundò ratione par-
tis affectæ, & tertio ratione morborum & accidentium
supervenientium describeretur observanda; verùm cum
in nimiam hæc dissertatio excresceret molem, facilisq;
sit doctrina, nec tanto indigeat σοχασμῶ, in genere ali-
quid hic dicam, & quidem

§. 2. I. Ratione aëris, qui sit temperatus, calidus e-
nim corpus calefacit, humores commovet, & ad motum
aptos reddit, hic jam temperatus sive tepidus si naturâ
non detur, arte parandus est idoneis adminiculis in vul-
gus notis.

§. 3. II. Victus plenus concedi potest, si vulnus
sit in parte carnosâ, nec metuatur periculum inflamma-
tionis;

tionis; contra in nervosis; melius tamen, si in principio parcus, postea plenior, qui sanguinem purum & laudabilem generet, simulque succum solidum præbeat, qualis est oryza, caro vitulina, agnina, pedes eorum & similia, imperetur pro Symptomatum ingruentium naturâ & circumstantiis à prudenti Chirurgo maximè varianda. Exulent allia, cepæ, suilla caro, pisa, acria & mordacia, præprimis in vulneribus sclopeto inflictis.

§. 4. Cibi denique ita sint comparati, ut fluxum humorum omnem potius cohibeant, quam excitent, venenum, si adest, corrigant, & accidentia præcaveant. Conf. & hic Aphor. 17. Hipp. Sect. I.

§. 5. Potum commodè præbet cerevisia non nimis lupulata, nunc tenuior, nunc crasior, vinum prohibeatur, substituendo aquam medicatam excitro, hordeo, vel aliam medicinalem.

§. 6. III. Motum & quietem quod concernit, quamvis quies vulneratis conveniat, cum motus humores commoveat & ad fluxum aptos reddat; in luxationibus tamen brachii & similium motus debitus maximè est necessarius, ob metum ancyloseos, ne patiens eam incurrat.

§. 7. IV. Somnus sit longus, vigiliæ paucae, felixque dicendus est iste Medicus, qui medicamento ad hanc intensionem idoneo instructus patientibus suis, ne vigiliis incurrant, præspicit. Pariter &

§. 8. V. Excreta & retenta justo modo se habeant, sin minus, jusculis vel aliis alvum laxam reddentibus feces sollicitentur.

§. 9. Denique VI. motus animi sunt vitandi, ii que; qui ægrum ad iram possunt concitare, non admittantur, nec eorum mentio fiat; sed æger potius ad moderatam
animi

animi tranquillitatem disponendus. Venus itidem hic
nociva, cum naturam debilitet, humores accendat &
valde commoveat.

CAPUT IX.

Morbos & accidentia ex malo regimi-
ne evenientia quâ Chirurgiâ, quâ Pharmaciâ,
quâ Diætâ curanda subministrat.

§. I.

Egregiè hæc eadem videtur delineasse Agricola rhyth-
mis suis germanicis, quando ita scribit:

Geschwulst / Wundsucht / Spasmus,
Wild-Fewer / Brennen / Tetanus,
Krümme / Lähme / Schwinden /
Löcherung vorne und hinten /
Warken / Knöpfte / Schwammen /
Krebs / Fisteln zusammen /
Verstopfter Stuhlgang / Stincken /
Blutspeyen / Zittern / Hincken /
Vergiftt / geil Fleisch / Scummen
Endlich auch darzu kummen /
Das Glied-Wasser geschwind /
Bedenckt es doch Peiniger blind /
Würmer / Fäulung / Bluten /
Das seyn ja frische Ruthen /
Oben zu und unten faul /
Erwarb mir offtmahls einen Gaul.

§. 2. Ex his rhythmis deducit citatus autor 23. sed
sic paulò aliter ordinantur.

§. 3. (1) Spasmus, qui facile degenerat in epile-
psiam

psiam vel convulsionem sive tetanum; ubi externè con-
ducit ungu. Spasmodicum Fel. W. oleum lumbric. ter-
restr. ungv. Agricolæ, axungia serpentum; internè dia-
phoretica cum præcipitantibus & corpus apertum ser-
vantibus, cum victu laudabili, abstinendo ab acribus, pi-
peratis, scorbuticis nimis volatilibus & aliis.

§. 4. (2) Vomitus sanguinis curatur V. S. sangui-
nem congruatum solventibus & discutientibus, qua-
lia sunt aqua Scabiosæ, cerefolii, ocul. cancrorum pulv.
ad casum, sanguis hirci, Antimonio diaphoret. admixtis
vulnerariis supra recensitis; jusculis coctis cum radici-
bus Petroselini & similibus.

§. 5. (3) Wund-Galle / oder Brennen Würzio An-
thrax, loquendum enim interdum est cum Chirurgis,
quoniam idonea vocabula latina, quibus sensus Chirur-
gorum exprimatur, ferè desunt, sicut & in eo Sympto-
mate, quod vocant.

§. 6. (4) Wild-Fewer vide Agricolam, moderni
seculi Chirugos & alios, qui plura hisce malis attribu-
unt remedia, potiora tamen erunt oleum de Camphora,
cum Sach. Saturni, cum diaphoreticis adhibitis, & victu
refrigerante vel temperato præscripto.

§. 7. (5) Rubigo sive prunella vulnerum, quæ ni-
hil aliud est, quàm inflammatio ad corruptionem ten-
dens. Utramque paginam hîc facit aqua calcis vivæ
cum myrrhâ, olibano, mastiche & Lithargyrio D. Aus-
feldii, Archiatri olim Altenburgici, vel aqua calcis vivæ
cum Sale Armoniaco, additoq; Sp. V. camphorato; dia-
phoretica hîc non negligentur cum confortantibus, vi-
ctusq; sit laudatissimi succi, interpositis Clysteribus vir-
tutem putredini resistentem habentibus.

§. 8. (6) Febris, oder die Wundsucht / Chirurgis die
Grosse

Grosse/ accenditur hæc putredine summâ humorum in ipso vulnere generatorum. Curatio consistit in eo, ut putredo quamprimùm coërceatur, & materiæ vitiosæ omni modo per medicamenta topica exitus pareatur, postmodùm sudorifera & cordialia cum Clysteribus materiâ peccantem revellentibus exhibeantur.

§. 9. (7) Synovia tollitur decocto calcis vivæ cum confortantibus & alimentis laudabilem succum & citò reficientem præbentibus.

§. 10. (8) Gangræna & sphacelus, quæ differunt saltim secundum magis & minus; extollitur hic Sp. lavendulæ cum Sale Armon. & Tartaro Marci, Sp. V. camphoratus, empl. dia ϕ Rulandi, &c. internè Tinct. Bez. Elixir. propr. antipestilentiale, aqua cord. H. S. ess. citri cum Clysteribus & diætâ putredini resistantibus, quale ferculum paratur ex succo citri & aliis.

§. 11. (9) In cancerum si jam vulnus abiit, inserviet tibi ungu. Fr. Deck. in notis ad Barbetten. cum ungu. purp. Fel. W. Internè Tinct. Antim. ϕ sata, Tinct. Solis, ess. fumarizæ compos. & victus humorem causticum temperans & humectans.

§. 12. (10) Fistulis sinibusve latentibus optimè succurrit decoctum Tabaci, item succus Nicotianæ cum exuviis serpentum. Internè ess. lignorum, vulneraria, Antim. diaphor. victus debet esse acrimoniam humorum obtundens, condiaturq; herbis Θ volatili divitibus, quale habet beccabunga, cerefolium, brassica rubra. &c.

§. 13. (11) Caro sylvestris sive *ὕπεροίρωσις*, valent hic cathæretica, internè dantur sanguinem purificantia, & cibi succum laudabilem præbentes, abstinendo ab excessive falsis & acidis.

§. 14. (12) Tumor inflammatorius, qualem accurate

ratè describit Agricola ab aliis distinguendus. Usui hìc esse potest Epithema ex fl. nymphaeae, nasturtio aquatico in aceto rosato coctis; internè præcipitantiã & diaphoretica, cum victu refrigerante, Clysteribus non postpositis, si indicatio id svadeat.

§. 15. (13) Pluralitas orificiorum ex humorum affluxu, ubi necesse est, ut purgetur corpus, postea adhibeat Chirurgus ligaturas expulsivas, & materiam stagnantem absumentia, vel affluentem repellentia; internè etiam propinentur sanguinem purificantia, corpusq; nutriatur laudabili alimento.

§. 16. (14) Sanguinolentia vulneris, ubi adhuc magis elucescit medicamentorum à Chirurgo applicatorum inconvenientia vel insufficientia, adeòq; Chirurgus accersatur, melioribus instructus medicamentis, & diætã convenientem præcipiens; par ratio est & in

§. 17. (15) Vulnere marcido, (16) verminoso, (17) putredine latente, (18) Apostemate latente, (19) verrucã, (20) fungo, quando vulnus etiam in alium planè morbum abiit, ex incuria Chirurgi vel medicamentorum non ritè præparatorum applicatione. Cura instituatür sicuti ulcerum; (21) Tremore, (22) *ἀναστροφὴ* sive membro anodyno, (23) Contracturã sive paralyfi improprie dictã, (24) pruritu, (25) Atrophiã partis, (26) *Wüten der geheilten Wunde* ad tempestatis mutationem, quæ omnia ob prolixitatem non tango, ex Chirurgo experto vel vulnerum tractatione seu curatione ipsã addiscenda; sufficiat saltim indicasse, cum etiam patientissimus in hoc Augiæ stabulo expurgando impatiens reddatur.

§. 18. Accidentia fracturarum & luxationum ex incuria Chirurgi supervenientia sunt: (1) Ossium distorta
conglu-

conglutinatio. Quæ antequam conformationem & situm priorem acquirant, necesse est, ut denuò frangantur, eaq; medicamenta adhibeantur, quæ fracturis idonea; meliùs succedet curatio, si priùs partes emolliantur per appropriata remedia.

§. 19. (2) Callosa durities. Corrigitur hæc discutientibus & digerentibus, frictionibus ex \ominus \oplus & oleo, purgatione, V. S. & alimenti subtractione.

§. 20. (3) Ancylosis. Si denuò ossa coalita divellantur, & postea cura secundum artem instituat, articulusq; decenter moveatur, ne prius malum incurrat patiens.

§. 21. Denique mantissæ loco notabit Chirurgiæ Studiosus & artis medicæ feliciter exercendæ cupidus diligenter, quod habet Hieronymus Vitalis in Sympathia Physico-Theologica; *Medicamenta sunt instar lixivii, quod vestimenta quidem è sordibus purgat, abstergit, emundat, verum etiam sensim quatit, conterit, adurit, ac tandem penitus dissipat; adeòq; manu hinc inde seras, non sacco.*

CAPUT X.

Appendix de Magnetica vulnerum Curatione.

§. I.

Multa sunt in natura, quæ quoniam humanum captum, adeòq; ipsam naturam transcendere ac totius Philosophiæ fundamenta evertere videntur, aliqui protritâ fronte improbant, & ex ignorantia causæ Sathànica proclamant, aut ad minimum tanquam suspecta rejiciunt.

§. 2. Longam horum seriem affert Joh. Baptista von
G Helmout

Helmont in suo opere medico, peculiari hac de re tractatu ac Athanasius Kircherus in arte magnetica, quos per otium autores, quicumque prolixum horum catalogum desiderat, evolvere poterit.

§. 3. Inter omnia verò decantatissimus toto orbe, est pulvis iste Sympathicus, qui vulneratorum sanguini linteaminibus adhærenti applicitus mirum in modum curationi confert, & ægro intra paucos dies sanitatem restituit. Cujus virtutis intuitu nullus medicamenti effectus in tota arte medica hoc magis est implexus, nihil, quod captum hominis magis fugit.

§. 4. De hoc igitur pulvere, ut & de unguento hopliatrico, aliis constellato, cum magna sit controversia, inter Philosophos & Medicos, operæ pretium erit inquire, quonam pacto & modo pulvis Sympathicus & unguentum hopliatricum physicè concurrant ad vulnerum curationem, & quomodo tam abstrusissimam effectus causam dignoscere ac perscrutari queamus?

§. 5. An-

Impugnant magneticam curationem ex Medicis & Philosophis, Sennerius, Andreas Libavius, Nandæus in Syntagmate de studio militari, Livius Ignatius de Comitibus, Deusingius, Gaspar Bravo; ex Theologis Catholicis Athanasius Kircherus, Martinus Delzio, Bonacina, Joh. Roberti, Heermannus Busenbaum, Antonius Diana Clericus Regularis, Tamburinus. Econtrà viriliter ipsam propugnant ex Medicis & Philosophis Joh. Baptista von Helmont, Carolus Papinius, Daniel Becherus, Fabricius Hildanus, Basilius Valentinus, Joh. Wittichius, Joh. Baptista Sironus, Petrus Servius Professor Romanus, Rudolphus Goclenius senior & junior, Osvaldus Gabelkoverus in Practica Germanica, Cæsar Nagatus de rara vulnerum curatione, Burggravius in biolychnio, Psellus, Coleerus, Schenckius, Petrus Parisius, Philippus Palatius, & Hieronymus Vitalis Clericus Regularis. Ex Theologis Catholicis Paulus Vechius in Obs. Medicis in Scripturam S. Moronus ipsis dictus Illuminatus, Bertrandus Loth Dominicanus, Joh. Petrus Crescentius, Ignatius Lupus & Petrus Nicolaus Cabæus. Ex quibus licet aliqui de unguento armario, aliqui de pulvere Sympathico, univèrsim tamen omnes Sympathicam curationem vel evertere vel stabilire satagunt.

§. 5. Antequam verò ad rei examen deveniamus, præstat primùm explicare, (1) quid sit pulvis Sympathicus & unguentum armarium, (2) quibus constent, (3) quâ ratione parentur, (4) quis usus, (5) quis effectus? De singulis singulatim & in specie.

§. 6. Primum quod attinet, & quidem pulverem, dico, eundem esse formam medicamenti siccam, qui panno vel linteo sanguine imbutò inspargitur ad vulnera profunda & periculosa occultâ rerum consensione citò, tutò & jucundè curanda.

§. 7. Alterum quod spectat, constat hic pulvis ex solo Vitriolo Romano seu Calchanto, quod per se sanguinem sistit, putredini & puris generationi obest, & alia mira præstat, quæ habent ejus naturæ Scriptores, & passim Medici experiuntur.

§. 8. Tertium quod concernit, videlicet præparationis modum, repurgatur vitriolum hoc pluribus dissolutionibus ex aqua limpida, filtrationibus per chartam emporeticam, ad ignem evaporationibus ac repetitis coagulationibus, à feculento magmate, & postquam summam viriditatem adeptum est, contunditur crassiusculè, & per quindecim circiter aut decem & octo dies ferventioribus Solis radiis mense Julio vel Augusto, quamdiu Sol in Leone fuerit, exponitur, donec vi Solis calcinatus ad summam puritatem albedinemq; devenit. Inde ad usum in loco idoneo, hoc est, siccioris temperiei, asservatur.

§. 9. Porrò si fortè, dum paratur, aër est nubilus aut pluvius, aut dum jam perfectus asservatur, ex loci humiditate aut insita & excrementitia natura recruduit, & aliquid humoris contraxit, tunc & loco amovendus & virtutis jactura levi calore vel repetitâ ad Solem expositione reparanda est.

G 2

§. 10.

§. 10. Sunt qui præcipiunt, summoperè cavendum esse, ne ullo modo, dum pulvis conficitur, aut dum perfectus fuerit, adhibetur, ferro præsertim æruginoso tangatur.

§. 11. Quartum est usus, qui in vulneribus quibuscunque, quæ nullam ossium fracturam aut scissuram admiserunt, locum habet; Quòd si verò ossis aliqua fractura, contusio aut quævis læsio intercescit, tunc additur ei aliquid Sarcocollæ, gummi Arabici aut Tragacanthi, vel ut alii malunt, Symphyti majoris ad umbram deficcati atque in pulverem redacti.

§. 12. Magis perspicuè hujus pulveris usum describere videtur Papinius, ex cujus libro, cùm non in omnium manibus sit, sequentia transcribo: *Vulneribus, inquit, recentibus, & è quibus adhuc emanat cruor, immergitur linteum mundum, idq; vel ex lino, vel ex cannabe confectum: cujus loco suffecerit panni quodlibet genus vel solida quedam substantia, donec fluente ex parte sanguine intingatur: huic inspergendus pulvis, & alio panno cuncta involuta simul asserventur loco temperato, eaq; vel vicino vel quantumvis remoto à patiente. Præstat tamen moderata loci intercapedo. Sin vulnus jam inveteraverit, & in ulcus degeneraverit, eodem prorsus modo materia ex affecta parte manans, sive pus sive sanies fuerit, linteo committenda, aspergenda pulvere & sedulo asservanda. Tum vulnus vino tepido prius ablutum panno minimè sordido obtegendum est, & pannus novus ac mundus alternis diebus vel sæpius, prout manantis sorditiei copia exquirere videbitur, pro inquinato mutandus est. Sordidi autem panni simul coacervandi sunt in loco pariter media temperatura. Non est tamen, quòd pulvere inspergantur, nec vulnus plus quàm semel vino abluere necessum est: quin etiam hoc multi omittunt. Nota autem, quòd si vulnus exterius fuerit, sufficiet permittere, ut sanguis effluat in pannum: sin interiores etiam partes affecerit, ipse*
penitius

penitius immittendus est pannus, ut lesam pariter attingat partem.
Nota secundo, quod quocunque modo inflictum vulnus fuerit, eadem sit pulveris virtus. Non enim hic locum obtinet, quod Sennertus lib. 5. c. 10. p. 4. in unguentum armarium objicit, quod nullus, qui de eo scripserit, ausus sit vim ejus ad illata à sclopetis vulnera extendere, quin imò ejusmodi vulnerum ipsius pulveris ope persanatorum insignia mihi non desunt experimenta, quæ multorum fides confirmat. Nota denique loco mutanda esse lintea, illud præsertim sanguine & pulvere adpersum, prout pars intemperie tentatur. Si calida enim intemperies partem invaserit, loco frigidiori & humidiori asservari debent, velut sub terrâ, seu inclusa pyxide ex electro, aquâ aut nive mergantur, donec pars elapsam nacta sit temperaturam; Si verò frigida discrasia partem occupaverit, locus temperie contrarius pannis asservandus deligandus est. Hac de vulnere simplici. Si vulnus ossium fracturâ complicatum sit, fragmenta foras educenda sunt, quæcunque periosteum nudata fuerint. Sin verò fracturâ equalis, ut in speciebus, quæ dicuntur Caucedon & Raphanidon facta, vel contrita ossium particula periosteum adhuc cohereant, vulnere prius Sympatheticè curato, pars hypodesmidibus, epidesmidibus & assulis pro more deliganda & fulcienda est, admiscendo videlicet in curando vulnere pulverem gummi tragacanthæ alteriusve ejusdem naturæ, aquâ vel mediâ quantitate, ut superius dictum est. Haftenus Papinius.

§. 13. Quintum facile erues ex Papinii dictis, ut non opus sit seorsim tradere hujus quæstionis rationem, ultraque necessitatem prolixum esse.

§. 14. Deinde multi ipsum Vitriolum nullo adhibito apparatu, sed quale nobis à natura suppeditatur, atque in officinis venale prostat, prospero eventu usurparunt. Quod sanè si verum est, oportet, ut vulnus non ita grave fuerit; quandoquidem nobis non est disceptatio de vulnere levibus, & quæ vel immediatè à natura abs-

que ullo adjumento curantur, sed de illis vulneribus, quæ profunda sunt, ingentia atque periculosa? Ubi sanè nullius virtutis est simplex Vitriolum, sed Vitriolum præparatum astraliq; vi per jugem illam ad Solem expositionem imprægnatum ad mentem omnium, quotquot sunt Sympathici pulveris assertores.

§. 15. Venio ad unguentum armarium, quod etsi non parum à memorato pulvere discrepet, videtur tamen posse definiri per formam medicamenti mollem externam, quo telum, quo vulnus infligitur, inungitur, (aut etiam pannus, quo cruor è vulnere manans excipitur) ad vulnera profunda & periculosa citò, tutò & jucundè occultâ rerum Sympathiâ vel consensione curanda.

§. 16. Secundum quæsitum est compositio, quæ constat ex diversis ingredientibus, præcipuè verò pinguedine humanâ, sanguine, mumiâ, usneâ seu musco in cranio suspensi hominis nato, aliisq; simplicibus medicamentis: ex quibus alii plura, alii pauciora usurpant, ut videre est apud Sennertum lib. 5. 4tâ parte c. 10, suæ Practicæ Medicinæ, ubi ex professo de unguento armario agit, ac singulas singulorum descriptiones adducit. Potissima verò & magis recepta est descriptio Paracelsi, qui primus omnium hujus unguenti inventor perhibetur, eoq; veluti insigni munere Maximilianum Cæsarem donâsse fertur. Quanquam apud antiquiores etiam aliqua hujus unguenti adumbratio reperitur, ut præ aliis notat eruditissimus Leo Allatius, qui ex Julio Africano sexto de cestis ejus formam desumpsit, atq; in hæc verba ex Græco in Latinum transtulit: *Vulnerato autem ferro illud doloris remedium erit; ferrum, quod vulnus inflixit, inungere opus est, deinceps illud quasi percutientes in vulnus adigere.* Paracelso subscri-

subscribit etiam Joh. Baptista Porta in sua Magia naturali lib. 8. c. 12. additâ solùm terebinthinæ unciâ.

§. 17. Tertium est modus illud parandi, atque opportunum tempus Paracelso & aliis indefinitum. Crollius id restringit ad tempus, cùm Sol est in libra; alii magis coarctant ad diem decimam & undecimam Septembris stylo veteri; alii observant tempus, in quo Luna lumine augetur, estq; in bona domo & in signo humanæ figuræ; alii demùm quovis tempore parant. Quinimò Gabelckover solùm ex humano corpore muscum adhibet. Johannes Wittichius & Sennertus testantur, se novisse hominem, qui absque tot circumstantiis & speciebus solùm porci domestici adipem in usum adhibeat.

§. 18. Quartum usus suppeditat ab omnibus ferè eadem methodo traditus; licet Crollius alias etiam circumstantias adhibendas præcipiat, (quas tamen nos ex nunc prorsus rejicimus uti superfluas & planè superstiosas) videlicet habitum telum, quo quis vulneratus fuit, immergatur in pyxidem unguento plenam, vel eo inungatur alternis diebus: Quod si necessitas urgeat, & vulnus sit ingens, id singulis diebus fiat; deinde involutum panno mundo servetur in loco temperato, non multùm calido aut frigido, nec ubi ventus afflat, sed vel in arcula, vel alio quovis repositoio magis proportionato. Si verò telum haberi nequit, satis erit lignum salicium, aut etiam pannus, qui in vulneris cavitatem immergatur, sanguinemq; fluentem excipiat; cui ex se exsiccato inspergatur suprâ dicto modo unguentum, vel in pyxidem unguento plenam dejiciatur intus linqvendo.

§. 19. Quintum ex effectu desumitur, ut, si naturali viâ curatio haberi poterit, ea protinùs seqvatur, nullâ prorsus aliâ curâ vulneri præstitâ, nisi quantum naturæ
sub-

subserviatur, illud leniter à sordibus, quas fortè contraxerit, expurgando, singulisq; diebus novo ac mundo linteolo, solâ patientis urinâ prius madefacto, circumligando.

§. 20. Et hæc de compositione & usu præcipuis, restat, ut excutiamus, quonam pacto pulvis Sympathicus & unguentum armarium ad vulnorum curationem physicè & naturaliter conferant atque concurrant.

§. 21. Dirimi autem videtur hæc intricatissima difficultas hoc modo: Magnetica curatio fit à natura immediatè & intrinsecus operante, excitatâ tamen extrinsecus à motu sanguinis medicati, & à Vitriolo, sive alio quovis id genus medicamento alterati ob Sympathiam, & connexionem, quam habet cum ipso sanguine, qui pars ejusdem corporis est, quamvis abscissa, proindeq; ejusdem naturæ ac substantiæ, quam nihilominus servat, atque in universi istius communi formâ vel partium coherentiâ unitur atque necitur.

§. 22. Res proinde ut ex fundamento deducatur, notum est, Veteres actionem in distans fecisse duplicem. Alia enim corpora, quæ ad distans agunt, & aliquid de suo corpore & substantiâ emittunt, effluvium s. ἀπόρροιαν Antiqui, Medici verò μίασμα appellârunt; alia, quæ nihil de suo corpore, quod ad aliud corpus transferatur, sed speciem saltim emittit, quomodo per species sensibiles, lucem, sonum, odorem, corpora etiam distantia afficiuntur, magnetismum indigitârunt, ad quam jam actionem in distans in unguenti armarii & pulveris Sympathici virtute & causis investigandis respicientes naturæ investigatores, factum est, ut alii in diversas opiniones abierint, alii verò ut Sathanicum auxilium detestati fuerint.

§. 23.

§. 23. Huic ergò inconvenientiæ ut medeamur, ad-
ductâ jam descriptione monstratur, quòd in hoc genere
nulla detur actio in distans, sed unumquodque agat in-
paciens sibi approximatum atque contiguum, altero inte-
rim affine intrinsecus à natura ad similem motum excita-
tâ repaciente; possitq; salutari hic modus potius per in-
distantiam vel præter distans, quàm in distans.

§. 24. Res ut magis ad oculum pateat, Sympathiæ
species & differentias ordine recensebo, & quomodo
ex iis verus ac genuinus unguenti & pulveris Sympa-
thici operandi modus erui possit, ostendam.

§. 25. Sympathiam proinde duplicem facio, vel Mi-
crocosmi, vel Macrocosmi. Sympathia Microcosmi est
triplex, vel generis, vel familiaritatis operis, vel vicini-
tatis. Per Sympathiam generis intellige consensum il-
lum, qui communicatur alteri parti ob ejusdem partis vi-
ventis continuitatem, sicut læsâ cervice læditur manus,
quoniam nervus vestiens manum è cervice dependet, &
consensus per ejusdem nervi, quamvis in disitis parti-
bus consistentiam & continuitatem servatur, quæ Sym-
pathia generis non intercedit inter partes, quamvis vici-
niores; utpote inter cor & ventriculum, atque inter i-
psam & hepar aut manum; quâ de re toto cœlo errasse,
Lycum advertit Galenus, asseverantem tremorem ma-
nus ab stomacho prodire, cùm nullus nervus à ventricu-
lo procedat ad brachia, ut Anatomes observatoribus
compertum est.

§. 26. Secunda species Sympathiæ est operis fami-
liaritatis, quam dicimus intercedere inter mammas & u-
terum, non enim ulla intercedit inter illas connexio,
quam quòd ad idem opus à natura ambæ sint destinatæ:
hinc ex uteri affectionibus in mammis tubercula, duri-
ties,

H

ties,

ties, carcinomata dira suboriuntur, hinc etiam conceptus tempore venas turgere conspiciamus, ac pro qualitate foetus mammas aut intumescere aut languere, ut docet Galenus in 6. Hipp. de morbis vulgaribus Comm. 5. & 14. confer & Andream Laurentium, & Sanctorium, Sanctorium de vitandis in arte medica erroribus.

§. 27. Tertia species est vicinitatis, per quam unum membrum alteri condolet ex vicinia: talis est capitis cum cervice, manus cum brachio, &c. & hæc cum manifesta sit, explicatione non indiget.

§. 28. His ita constitutis ad Sympathiæ rationem, quæ inter partes universi invicem colligatas conspiciuntur, explicandam devenio. Pari modo igitur omnis Sympathia rerum aut ex genere, aut ex familiaritate operis actuumq; conformitate, aut demùm ex naturæ similitudine viciniâq;, quòd ex uno eodemq; principio promanent, sintq; veluti aliquo superiori vinculo colligatæ, originem trahit.

§. 29. Sympathia generis conspicitur vel maxime in iis, in quib9 apparet aliqua generis similitudo aut contrarietas, quæ agere simul & pati invicem apta nata sunt. Talis est aliquorum animantium, plantarum, hominum, mutuus amor aut dissidium; certarum stirpium qualitas, quæ aliquibus exitialis est, aliis jucundissimum alimentum, sicuti id manifestum est in cicuta, quæ hominibus deleteria, asinis & sturnis commodum pabulum; Asari folia si quis decerpando sursum vellicaverit, purgabunt corpus per vomitum, sin verò deorsum carpendo contorqueat, solam alvum dejicient. Et alia id genus multa naturæ arcana, quæ quamvis cognitu difficilia, hoc tamen unum apud omnes in confesso est, id non nisi ex quadam mutua rerum alligatione prodire, habereq; unam
nam

nam causam universalem æquivocam, à qua omnes miri effectus isti fluant.

§. 30. Secundò ex familiaritate operis est Sympathia illa quam in rebus videmus, cùm scilicet uno aliquid operante, videmus aliquem ad idem opus, quamvis nil tale cogitantem, excitari. Ut cùm altero oscitante & ipsi mox oscitamus, altero mingente cieatur & nobis lotium, chordâ pullatâ, altera æquè tensa ad eodem modulus resonet. Evenire dicitur & ex hac Sympathiæ specie, ut ad occisoris præsentiam sanguis in occisi cadavere aliàs congelatus ebulliat & foras profiliat. Supponitur enim, occisionem fuisse semper factam in aperto conflictu & sciente atque adnitente contra aggressorem occiso: quo posito credendum est, hunc ita in aggressorem incaluisse; ac demùm viribus imparem occubuisse. Cùm igitur ira sit accensio sanguinis circa cor, qui post eà succumbente naturâ per inflictâ vulnera foras profiliit, & sanguis ita infectus quandam antipathiam cum aggressore contraxit; inde fit, ut eodem præsentente sanguis ex familiaritate operis iterum accendatur, ebulliat, ac per eandem vulnerum viam exitum sibi paret, & utcunque naturâ duce in adversarium adnitatur.

§. 31. Ex naturæ similitudine magnes ferrum attrahit, non alium magnetem, quia iste omninò similis & in talibus non est passio; ferrum autem licet in qualitatibus simile, est tamen illi subordinatum patiç; magis idoneum. Eadem ratio est in succino & aliis id genus fossilibus, paleas ad se attrahentibus, quia igneis qualitatibus pollent, adeoç; aridas stipulas consimilis naturæ aptaç; ignis pabula sibi copulant, nec nisi confricatione incallescunt. Militat & hæc ratio in morbis contagiosis, ubi alter alterum lædit aspectu, voce, contactu; Sic primo

sanguine menstruo aut secundinis in loca cœnosa dejectis foeminae malè habent; item ex vicinitate accidit, quòd una Provincial peste infecta altera illi propinquior, quamvis non sub eodem cœlo, eodem morbo afficiatur.

§. 32. Hæc ergò ita sese habere, nemo forsitan negabit. Verùm enimverò dantur adhuc omninò juxta recentiores Sympathiæ, quæ ad ullam ex prædictis reduci posse non videntur, sed necessariò ad quandam occultam virtutè & consensionem, quæ procedat ab uno eodemq; principio, refundendæ. Quæ enim connexio inter transversum septum & cerebrum? aut quis nexus inter os ventriculi & cor? Et tamen inflammato sepro statim caput delirat, laborante ore ventriculi deficit cor. Nec juvat hîc dicere, quòd ascendant quidam fumi & halitus ab inflammatione septi transversi ad cerebrum, qui illud perturbant, atque ab ore ventriculi ad cor, qui illud angunt. Nam, ut benè advertit Valesius, longè vicinior est cerebro os ventris, ergò major halituum copia ascendet ex oris ventriculi inflammatione, quàm ex septi transversi, & tamen hæc delirare facit, non illa, &c. hæc igitur in hac mutua facultatum conspiratione consistit, quæ ab uno animæ pendet regimine, atque analogia non ineptè appellatur.

§. 33. Simili modo in hac mundi & macrocosmi constitutione videre est hanc rerum analogiam, quæ non in sola similitudine, vicinitate, aut operis familiaritate salvari potest, atque adeò in mundi formam & conventionem, in unum quoddam universale principium jure merito importamus.

§. 34. Hîc jam offertur nobis latissimus exspatiandi campus, sed manus de tabula; applicemus saltem hæc unguento & pulveri nostro Sympathico. §. 35.

§. 35. Dicitur proinde in descriptione magnetica
Curatio. Non quòd magnes adhibeatur ad hunc cura-
tionis actum, aut quòd unguentum hoc vel pulvis Sym-
patheticus species emittat, aut quòd virtus horum medi-
camentorum per spiritum mundi (ut Crollius voluit, à
quo reliqui assertores parum discrepant) ad vulnus defe-
ratur, sed quia eminentius & magis sensualiter Sympa-
thia macrocosmi, licet ex alia operationis specie, in ma-
gnete deprehenditur.

§. 36. Fieri à natura immediatè & intrinsecùs ope-
rante, excitatà tamen extrinsecùs à motu sanguinis me-
dicati. Curatio immediatè à natura fit extrinsecis ful-
cris effectivè in vulnus ne minimum quid operantibus,
sed solùm in ea, quibus immediatè applicantur, putà san-
guinem, pus & similia, ad quorum tamen alterationem
natura ob substantiæ similitudinem & conformitatem
alteratur, intrinsecùs excitatur, & majori nisu curatio-
nem perficit, eo prorsus pacto, quo per morbum dejecta
solo suffitu aromatum, vini aliorumq; id genus extracto-
rum, quæ spirituales magisq; æthereas rerum portiones
servant, natura erigitur, spiritusq; nostri corporis aliàs
torpentes momento temporis excitantur, & pro naturæ
affinitate instaurantur. Clariùs dicam: Sicuti in Helio-
tropio sese ad motum Solis vertente motus ab intrinseco
est, excitato tamen à Solis motu, cui est naturâ affinis &
quodammodò subordinatus: Ita natura ad rei sibi simi-
lis affectionem intrinsecè & ipsa afficitur, excitatur, & o-
pus suum, ad quod aliàs proclivis est, promptissimè exe-
quitur: nihil enim magis aver natura, quàm totius inte-
gritatem suiq; conservationem, ut docet Philosophus
pluribus in locis, & proinde vel levisimo adjumento
suffulta opus aggreditur ac felicissimè perficit. Alia ra-

tio est in vulneribus sclopeto inflictis, ubi cum vulnus igneo globulo laxatâ rotâ à sclopetis infligitur, instrumentum, quod ad explodendum duntaxat globum infert, nullam contrahit cum vulnere Sympathiam, cum non corpus attingat, non vulnus per seipsum faciat, sed per immissum plumbum; ac proinde nil mirum, si ineptum prorsus evadat ad curationē magneticē perficiendam, benè autem & feliciter fortè opus prodiret, si globus extrahi possit, atque in unguentum immitti; militat enim ratio eadem pro eo ac in gladio, qui partem affectam immediatè perit, & sanguine fuit infectus, cujus ad minus aliquam maculam servat; quæ satis est in hoc levisimo adjumento ob Sympathiam cum corpore retinendam, atque adeò naturam excitandam ad opus intrinsecè perficiendum.

§. 37. Et à Vitriolo sive ab alio quovis id genus medicamento. Vitriolum equidem qualitate exsiccante, pollet, quæ utique à spiritibus & calore innato adhuc in sanguine consistentibus actuatur, atque ad agendum in ipsum sanguinem excitatur. Accedit id partim ex Sympathia, quam habet sanguis cum suo principio, præsertim cum parte affecta, unde proximè excisus est, partim ex antipathia vitrioli cum sanguine: quippe videmus hoc semper sanguinis profluvio adversari; ita ut, etiam si super sanguinem è vena aut naribus profluentem modicum quid pulveris inspergatur, mox in vena aut naribus sanguinem sisti, idq; ex mira hac cum sanguine contrarietate atque dissidio. Neque enim ex vitrioli & sanguinis permixtione tertia quædam exurgit qualitas, quæ in ægrum transmittitur, sed vitriolum in sanguinem ex antipathia agit, natura verò ex occulta Sympathiæ vi sanguini condolet atque alteratur in quacunque distantia.

§. 38.

§. 38. Ob Sympathiam & connexionem, quam habet cum ipso sanguine. Quanquam enim sanguis extra venas positus corrumpitur, inspissatur, durefcit, & non nihil spirituum & caloris amittit, retinet nihilominus semper eandem cum corpore aut membro, unde excisus est, unionem ac Sympathiam, ut in pluribus aliis similibus videre est.

§. 39. Qui pars ejusdem corporis est, quamvis abscissa, proindeq; ejusdem naturæ & substantiæ, quam nihilominus servat. Partem corporis hinc non strictè cum Anatomicis & Fernelio accipio, sed latè, quatenus quantitatem habet & totum complet vel complevit. Videtur huc quadrare nonnullorum opinio, quam fovent contra Thomistas & alios, scilicet in corruptione compositi non dari resolutionem usque ad materiam primam, sed adhuc in corrupto perseverare plures formas substantiales, quas vocat particulares partium similariū distinctas.

§. 40. Atque in universi istius communi forma vel partium cohærentia unitur & nectitur. Nullum sanè firmitus argumentum ad mundi formā adstruendam, quàm mirus hic rerum ordo, consensus, dissensusve partium, quem non ab alio fonte, quàm ab hac mundi forma, perenni motus hujus scaturigine necesse est promanare. Sicut enim in humano corpore diversi motus ac membrorum colligatio & consensus arguunt, unicam esse animam, quæ omnia regat & ordinet; ita hæc eadem in tota mundi conspiratione atque consensu unicam formam eamq; vitalem evincunt.

§. 41. Equidem si spiritum mundi vectorem hujusmodi qualitatum velimus cum Goclenio, autore Mosai-
cæ Philosophiæ, & aliis quibusdam centralissimum illum Divinitatis Spiritum dicere, qui ab initio, ut habetur
Gen. I.

Gen. i. ferebatur super aquas, hoc profectò vel inde impietatem redolet, quod viderur maximè pium. Nam, ut benè Kircherus arguit, & ex eo Hieronymus Vitalis, jam corrueret univèrsa Philosophia; jam nulla in causis secundis foret activitas, nulla virtus, nulla in rebus proprietas, nulla activitatis sphæra, nulla denique in ipsa natura, h. e. ordinata illâ causarum congerie operositas, & causalitatis ratio; proindeq; omnia refunderentur in DEUM, ut causam immediatam, cum tum potentia perinde se haberent ut mera organa, & instrumenta, DEO omnia in omnibus operanti inservièntia. Si verò hunc mundi spiritum latius sumtum connexionem illam cum non nemine dicamus, quâ in univèrsa natura res cognatæ inter se mirum in modum afficiuntur, contrariæ sibi invicem adversantur, una alteri condolet, hæc illi fatali genio subest, altera prædominatur, ita ut in hoc verè salvetur mira illa sympathiæ, antipathiæq; vis ac dissitiarum quantumvis rerum nexus & colligatio; tunc profectò non aberramus à vero, totam quippe actionem in univèrsale quoddam principium refundentes.

§. 42. Multa adhuc restarent dicenda de nobili & arcanissimo hoc effectu, sed concludo verbis eruditissimi Maravigliæ in suo Protheo-Ethico-Politico: *Admiranda nature arcana ita rimari debet nature investigator, ut semper eorum causas & principia agnoscat in natura; quæ in omnibus, quæ quoquo modo moventur aut quiescunt, principium est, ut ajunt Philosophi.*




ULB Halle 3
002 265 036


(f)

Sb.

WONA







2000 1674, 5 8
15

JEHOVA SECUNDET!
DISSERTATIONEM CHIRURGICAM
DE
VULNERIBUS

cum fracturis & luxationibus,
sive conjunctis eorum præcipuis
& Symptomatibus,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi
DN. CHRISTOPHORI HELVIGII,
Doctoris & Profesoris Medici in Regia hac Pome-
ranorum Academia longè celeberrimi, Facultatis suæ
Decani spectatissimi, & h. t. Universitatis Rectoris Magnifici,
Dn. Patroni & Fautoris sui pl. honorandi,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ Honores & Privilegia obtinendi

Publico & placido Philiatorum examini
die Maji loco horisq; consuetis
submittit

M. MATTHÆUS CLEMASIUS, Zittâ-Lusatus.

GRYPHISWALDIÆ

Excudebat MATTHÆUS DOISCHER, Acad. Reg. Typogr. Anno 1674.

c3

